INSTITUTIONES
THEOLOGIAE
EXEGETICAE

IN USUM

ACADEMICARUM PRAELECTIONUM

ADORNATAE

A

D. C. G. Hofmanno.

EDITIO NOVA.

IN URBE SANCTI LUDOVICI
EX OFFICINA SYNODI MISSOURIENSIS LUTHERANAE.
MDCCCLXXVI.

PRAEFATIO.

Plures quidem, immo vero etiam sat multos prostare libellos, quibus doctores theologi veram sacras literas interpretandi rationem tradere satagerunt, me non latuit, cum nuper in animum inducerem consilium de his *institutionibus theologiae exegeticae* in lucem publicam edendis: tamen me copia ista non potuit a proposito dimovere, quod mihi in academiis multos annos docenti usu venit iterum iterumque in plerisque compendiis exegeticis a juventute studiosa vel ordinem, vel prolixitatem, vel brevitatem, vel ἀκρίβείαν, vel aliud quidpiam, jure desiderari, et quod suus cuique doctori academico mos merito relinquatur, quo vel hanc vel illam scientiam exponi posse auditoribus commodius atque facilius autumat. Dabitur mihi etiam venia, quam tot aliis datam concessamque video, inprimis si paucis indicavero, quorsum mens mea in hoc opusculo maxime respexerit.

Prouti magis vera quam nova, utilia plus quam singularia quaerenda sunt ubique, sic ego etiam, cum *de methodo*, ad cujus leges exegesis sacra doceri debeat, deliberarem, nolui ad saeculi nostri notissimas gloriationes de methodo et de demonstrationibus attendere, cum experientia ostendat,

fallere atque falli doctorem academicum, qui suos auditores omnes ac singulos uni eidemque suae demonstrandi methodo, caetera non improbandae, assuefacere vel alligare quasi conatur: siquidem diversitas ingeniorum in academiis est tanta, ut altera pars auditorum vix capiat, quae altera non modo plana atque perspicua, sed et solidissima putat et praedicat. Ut itaque omnibus consuleretur, methodum illam elegi et in hoc libello in usum praelectionum academicarum adornato servavi, de qua, nisi me omnia fallunt, certissime sperare licet, quod omnibus ingeniis, etsi diversissimis, apta sit et accommodata ob suam et perspicuitatem et facilitatem. Hae enim virtutes in omni docendi ratione eminent prae caeteris, quia docentes, ut omnibus placeant et prosint, instruunt, cum e contrario, qui suam eruditionem, vastam lectionem, judicii subtilitatem, ingenii felicitatem, linguae volubilitatem ac rerum novitatem in praelectionibus academicis prae se ferunt, magis suorum ipsorum quam auditorum commoda et gloriam curare mihi quidem videantur. Ne itaque ad analyticae methodi, ad regularum, canonum observationumque vocabula in his institutionibus meis saepe obvia haereant lectores, enixe rogo, etsi alio habitu et vestitu indui potuissent, allatae nisi obstitissent causae atque rationes majorum nostrorum et probatissimorum theologorum calculis et exemplis, si opus esset, facile confirmandae.

Cum porro in plerisque theologiae exegeticae compendiis observarem, nimis multa ex philologia sacra praesupponi eamque ab exegesi sacra tantum non omnino separari, ipsam vero *philologiam sa-*

cram raro in academiis seorsim doceri, huic defectui medelam afferre per id studui, ut ex nobilissima atque utilissima hac scientia in has institutiones transferrem, quae ad textus originalis considerationem pertinent et a SAL. GLASSIO in incomparabili *Philologiae Sacrae* opere, ad quod saepissime ideo remisi lectores, prolixe atque solidissime exposita sunt. Habebunt itaque, qui in academiis et docent et discunt, occasionem amplissimam disserendi de linguis et de rebus ad linguas sacras pertinentibus; brevemque totius fere operis GLASSIANI repetitionem et inculcationem suscipere, ipsamque exegesin cum philologia felici nexu conjungere poterunt.

Exempla, quae passim vel allegavi breviter vel prolixius proposui, vulgaria et nota sunt pleraque, quod forte non erit ad illorum palatum, qui rara, singularia, inexpectata, nova et insolita optant et desiderant. Sed ut in aliarum scientiarum regulis exempla notiora memoriam egregie juvant regularumque applicationem mirum in modum facilitant, ita ut exemplum notum citius in mentem redeat quam ipsa regula; sic etiam in interpretatione Scripturarum divinarum exempla nota et vulgaria citius et prius monebunt exegetae memoriam atque mentem ac regulae. De singularibus vero et insperatis exemplis idem sperari vix ac ne vix quidem poterit. Caeterum exempla notissima a me allata singularibus aliis et rarioribus facile augeri poterunt cum a docentibus tum a discentibus, si ipsis visum fuerit, ea, quae in tot observationum biblicarum collectionibus obviant quotidie, his nostris addere. Ego vero ad metam propositam, nimirum

ad usum et commoda academicae juventutis unice collimare debui.

Cur autem *de typis* paullo plenius fuerim commentatus, ex necessitate temporum nostrorum conjectabunt rerum exegeticarum arbitri judicesque periti. Luxuriant nostra aetate multi in typis Vet. Test. investigandis conjecturisque suis et opinionibus ita indulgent, ut tandem omnis typorum natura videatur in somnia, fictiones, ingenii vocumque lusus abitura. Cui malo ut resistamus, hoc magis est necessarium, quo majus detrimentum veritas divina inde capere potest, si hostes religionis Christianae vident, quam infirmis, immo vero etiam vanis et caducis rationibus niti dicantur typi Vet. Test. Ut enim studium prophetizandi praeposterum, sic etiam *τυπομανία* in multorum recentiorum commentatorum scriptis regnans auctoritati et infallibilitati exegeseos sacrae plus certe derogat, quam vulgo creditur. Inde factum est, ut de typis plenius instruendum putarem exegetam.

Quod ad *stilum*, quo usus sum, attinet, non tam elegantiae et nitori, quam perspicuitati operam dedi pro ratione finis, ad quem in praelectionibus academicis tenditur. Hinc si qua vel minus eleganter vel non satis philosophice dicta putentur, ignoscant rogo lectores vel, si malunt, emendent pro sui judicii acrimonia, quae emendanda et expolienda ipsis videbuntur. Dummodo ne in minutiis, ut esset *vocis* a *vocabulo* et *verbo* differentia aliaque huic similia, haereant, siquidem, quae in grammatico et critico jure notarentur, theologo res magis quam voces ponderanti aequi lectores et judices benigne condonare solent.

Indices superaddidit industria amici, qui meas in exegesin sacram praelectiones multo studio iterum audiverat easque in suos usus conversurus indicibus instruxerat.

Denique DEO OPT. MAX. gratias ago religionis atque venerationis pietatisque plenissimas, quod mihi et in conscribendis his institutionibus et in iisdem saepissime in academia Lipsiensi et Vitembergensi publice explicandis divina sua gratia et benedictione subvenerit, eumque demissa mente rogo, velit etiam his, qui hac mea qualicunque opella utentur, clementissime adesse, ut *theologia exegetica*, fundamentum illud omnis theologiae et revelatae religionis, thesaurus ille ecclesiae Evangelicae purioris, nostris in coetibus sanctioribus sarta et incontaminata ubique et semper conservetur. Scr. in academia Vitembergensi d. XVII. April. MDCCLIV.

PROLEGOMENA

LIBER I.

DE

FINE THEOLOGIAE EXEGETICAE.

LIBER II.

DE

SUBJECTO THEOLOGIAE EXEGETICAE.

LIBER III.

DE

PRINCIPIO, MEDIIS ET SUBSIDIIS THEOLOGIAE EXEGETICAE.

PROLEGOMENA

DE

NATURA THEOLOGIAE

EXEGETICAE IN GENERE.

---

§ I.

Definitio.

Theologia exegetica est habitus practicus θεόσδοτος, quo theologus ad sensum S. Scripturae inveniendum atque aliis demonstrandum certis mediis et subsidiis instruitur, ut de mente Spiritus S. convictus hominum ad salutem informationem, Deique honorem promovere queat.

§ II.

'Ονοματολογία.

De *theologia exegetica* loquimur, cumque vox *theologiae* sensu lato pro parte studii theologici acceptae sit notissima, eam nunc ulterius non attingemus, e contrario *exegeseos* in primis evolvemus vocabulum atque significationem.

Observ. Quemadmodum interdum vox *philosophiae*, maxime instrumentalis, denotat disciplinas, quae viam ad philosophiam pandunt: sic etiam *theologiae* vox nonnunquam illas sanctioris doctrinae partes, quae ad

theologiam tantum praeparant eidemque ut instrumenta et subsidia inserviunt, indicare solet. Vid. PFEIFERI *Thesaur. hermeneut. p.* 16. WERNERI *Hermeneut. sacr. p.* 5.

§ III.

Etymologia.

Vox *exegetica* descendit a graeco *ἐξηγεῖσθαι*, quae

1) vox composita est et vi originis atque compositionis significat *educere* vel *eductos producere et praeire.*
2) sexies in S. Scriptura N. Test. legitur, nempe *Luc.* XXIV, 35. *Io.* I, 18. *Act.* X, 8. XV, 12. 14. XXI, 19.; sed saepius apud LXX. Vid. TROMMII *Concord. Graec. Tom. I. p.* 559.
3) in sacris literis denotat, *rem quandam narrare, accuratius exponere, docere* atque *interpretem agere* (*Io.* I, 18.) vel *historiam claris verbis condere:* qui significatus probatur:

a) ex inductione locorum sex citatorum e N. Testamento.

b) ex usu vocis apud LXX, qui ebraeum סִפֵּר et הוֹרָה per *ἐξηγεῖσθαι* reddiderunt. *Lev.* XIV, 57. *Jud.* VII, 13. 1. *Chron.* XVI, 24. *Hiob.* XXVIII, 27. 2. *Reg.* VIII, 5.

§ IV.

Ἐξηγητής quis?

Exegetica vocem cognatam habet exegetae. *Ἐξηγητής* autem

1) apud profanos auctores *late* quemvis vel artis vel dicti cujusdam doctorem, *stricte* portentorum atque oraculorum interpretem designat, vid. CUPERUS in *Apotheos. Homer. p.* 276. 10. ALBERTI in *Observ. sacr. p.* 207., *strictissime* mystagogum, hierophantam, quem TACITUS antistitem caerimoniarum dixit, quemque ethnici pro Deorum internuntio habebant.
2) Sic et apud LXX. vel interpretatio somniorum a Pharaone visorum tribuitur *ἐξηγηταῖς*, *Gen.* XLI, 8. 24., vel interpretatio sacri codicis, *Prov.* XXIX, 18.

§ V.

Homonymia.

Exegetica scientia sequentes in primis significatus varios admittit: Nimirum

1) apud profanos scriptores vel *late* omne, quod ad interpretationem verborum et factorum pertinet, vel *stricte*, quod ad portentorum interpretationem spectat, significat. Huc pertinent Clidemi et Anticlidis ἐξηγητικοὶ libri, teste CUPERO *loc. cit.*
2) in theologorum scholis vel *generaliter* omne, quod ad studium biblicum et hermeneuticum pertinet, ut apud LOESCHERUM in *breviar. theolog. exeget. Cap. I. § I. p.* 1., vel *specialiter* hanc, quam nunc de interpretatione verbi divini trademus, scientiam habitualem sive hermeneuticam, quae sine caussa ab hac nostra exegesi distinguitur, denotare solet. Vid. § VI.

§ VI.

Synonymia.

E variis synonymis theologiae exegeticae sequentia observasse juvabit. Dicitur nempe

1) *Hermeneutica sacra*; circa quam appellationem observandum est,
   1) quod sit biblica, nam et simplex ἑρμηνεύειν, *Io.* I, 39. 43. IX, 7. *Ebr.* VII, 2., et compositum διερμηνεύεσθαι, *Luc.* XXIV, 27. 1. *Cor.* XIV, 13. 27. μεθερμηνεύεσθαι, *Act.* XIII, 8. *Matth.* I, 23., nec non substantivum ἑρμηνεία, 1. *Cor.* XII, 10. XIV, 26., et διερμηνευτής, 1. *Cor.* XIV, 28., item, δυσερμήνευτος, difficilis, *Ebr.* V, 11. legitur.
   2) quod sensu etymologico interpretationem verbalem, quae ad realem proxime adducit, significet, nempe translationem vocis ignotae in notiorem, maxime in vernaculam. *Io.* I, 39. 43. Hinc ἑρμηνεία γλωσσῶν, 1. *Cor.* XII, 10.
   3) quod in nostris scholis ab exegesi sacra non differat, etsi BEZA, (Sophoclis Scholiasten secutus, qui ἑρμηνείαν de rebus vulgaribus, ἐξήγησιν de rebus divinis et excellentibus agere praecepit) aliique discrimen intercedere existiment.

4) quod ab objecto peculiari, circa quod versatur, *sacra* dicatur, ut a communi, philosophica, profana distinguatur. Habet enim hermeneutica nostra non solum regulas *generales*, in omnibus scriptis interpretandis observandas, sed et *speciales* suas, alibi ignotas, quia objectum speciale ipsius in aliis scriptis ignoratur.

2) Προφητεία, qua voce studium et donum exegeticum in N. Test. passim cognominatur: *Rom.* XII, 6. 1. *Cor.* XII, 10. XIII, 8. XIV, 6. 22. 2. *Petr.* I, 20. 21., etsi etiam alibi prophetiam proprie sic dictam indicet, *Act.* XI, 27. 28. XXI, 10. 11., quemadmodum prophetae quoque vere futura praedicentes tempore N. Test. non defuerunt.

Observ. I. Quia doctores ecclesiae vaticinia prophetarum V. Test. exponebant, cum complementis conferebant atque sic scripturam V. Test. explicabant, hinc προφῆται, 1. *Cor.* XIV, 29. 32. 37., et ipsorum exegesis vocabatur προφητεία. Conf. WITSIUS *Miscellan. sacr. Tom. I. Lib. I. Cap. XXI.* § 47. 48.

Observ. II. Prophetica theologia, si ab exegetica distinguitur, denotat specialem exegeseos partem, quae prophetias V. Test. explicare docet posthabitis scriptis V. Test. historicis, dogmaticis etc. Vid. Vener. KOECHERI *Conspect. theol. univers. Cap. IV. Sect. II. p.* 230.

3) Ἐπίλυσις τῶν γραφῶν, 2. *Petr. I*, 20., per similitudinem a clave aperiente atque solvente desumtam. Add. *Marc.* IV, 34. Vid. WOLFIUS in *Cur. philol. N. T. Tom. IV. p.* 196. WERNSDORFIUS in *Disp. Tom. II. p.* 83.

4) Διάνοιξις τῶν γραφῶν, *Luc.* XXIV, 32., per metaphoram a thesauro occluso recludendo petitam; quemadmodum apud Ebraeos פִּתַּח docere significat. Vid. STEPH. LE MOINE *var. sacr. p.* 927.

5) *Theologia biblica, studium biblicum.* Etsi enim sensu materiali omnes partes theologiae sint biblicae; etsi quoque studium biblicum vulgo ita accipiatur, ut exegetico latius, totamque de S. Scriptura doctrinam complectatur: tamen sensu instrumentali vel organico haec scientia, quae Bibliorum interpretationem docet, biblica dici meretur. Vid. LOESCHERI *breviar. exeget. p.* 2.

Observ. Metaphoricas reliquasque et biblicas et ecclesiasticas theologiae exegeticae appellationes a nonnullis pro ingeniorum varietate varie excogitatas, nunc non curamus, e. gr. *clavis scripturae sacrae*, *hodegeta*, *philologia sacra* (sensu lato sic dicta), *doctrina christiana* (sic AUGUSTINUS in libr. sub hoc titulo) etc.

§ VII.

Existentia.

Dari theologiam exegeticam, et eam necessario dari, maxime contra Fanaticos, his validissimis rationibus affirmamus, desumtis

1) ab existentia S. Scripturae, cujus sensus est per media a S. Spiritu data necessario investigandus et aliis demonstrandus, ut ex hac hominis ad aeternam salutem informentur.

2) a scrutinio sacrarum literarum mandato, *Io.* V, 39. *Rom.* XII, 6. *Matth.* XXIV, 15. *Es.* XXXIV, 16.

3) ab exemplo prophetarum, *Dan.* IX, 2. Iesu, *Luc.* IV, 17—21., Apostolorum etc., qui frequentissime Sacram Scripturam exponere debuerunt, provocantes ad textum originalem, *Gal.* III, 16., ad parallelismum, *Matth.* IV, 6. 7., ad contextum, *Act.* II, 29. 30.

4) ab usu necessario theologiae exegeticae in omnibus partibus studii theologici, e. gr. in thetico, polemico, casuistico, homiletico etc. Immo vero etiam, ut omnia paucis complectar, sine exegesi erit nulla theologia revelata, neque esse poterit.

§ VIII.

Πραγματολογία. Divisio.

Huc repetita *definitione* theologiae exegeticae, quam § I. dedimus, de *divisione* ejus nunc observamus, quod dividi soleat

1) in *catecheticam*, quae cuivis homini christiano competit, siquidem omnis christiani est, non modo verbum Dei legere, sed et scrutari verumque sensum

investigare; et *acroamaticam*, quae theologorum maxime est. Conf. § *X*.

2) in *partialem*, quae expositioni unius alteriusve sacri scriptoris inservit, e. gr. propheticam, typicam etc., et *universalem*, quae ad expositionem omnium librorum biblicorum viam ostendit.

3) in *verbalem* seu philologicam, quae nudam verborum translationem conficere quamque *metaphrasticam*, discriminis ergo, REIMANNUS dicere maluit, in *Versuch einer Einleitung in die Historie der Theologie, Lib. I. Cap. VII. p.* 101., et *realem* seu theologicam, quae et verba et res explicare docet.

Observ. Aliae divisiones passim cumulatae magis ad sensus S. Scripturae divisionem quam ad exegeseos distributionem spectare existimamus; hinc et eas omisimus.

§ IX.

Genus.

Habitum practicum θεόσδοτον vocamus theologiam exegeticam, hujus ideam genericam ostensuri, et quidem

1) *Habitum*, non sensu Aristotelico sed biblico, qui gratiam Spiritus Sancti, verbi lectionem et meditationem piasque preces praeter exercitium studiumque requirit. *Ebr*. v. 14. (Genus remotum.)
2) *Practicum*, quia omnia ad praxim seu ad ipsam sensus S. Scripturae inventionem et demonstrationem, applicare studet, et deducere. (Genus propinquum.)
3) Θεόσδοτον, qui non sine gratia Spiritus Sancti, eaque vel assistente vel inhabitante, acquiritur. 1. *Cor*. XII, 8—10. coll. 1. 4. 11., et 2. *Cor*. III, 5. 6. *Psalm*. CXIX, 18. (Genus proximum.)

Observ. Immediata ἔλλαμψις S. Spiritus desiit. 2. *Tim*. III, 15. 16. 17.

§ X.

Subjectum.

Subjectum, cui hic habitus inhaeret, est theologus, cujus requisita *Lib. II. Cap. I.* prolixius recensebimus.

Observ. Intelligere Scripturam sacram, h. e. notiones notionibus sacrorum scriptorum habere conformes, omnium christianorum est; sed *exponere* eam, h. e. dare rationes (et quidem acroamatice, sive ἀκριβεστέρως, *Act.* XVIII, 26. 28.), quod hae notiones sint S. Spiritus notionibus conformes, maxime in locis dubiis et difficilibus, est theologorum professione (ut ajunt) talium; id quod contra *Fanaticos* quoscunque tenendum est, quippe qui discrimen inter ecclesiae doctores et auditores tollere student. Vid. HUNNII *Theol. Weigel. p.* 328.

§ XI.

Objectum generale.

Objectum theologiae exegeticae est sensus S. Scripturae et inveniendus et aliis demonstrandus, de quo Lib. I. tot. prolixe disputabitur.

Objectum speciale.

In primis autem theologia exegetica in explicando sensu locorum difficiliorum S. Scripturae occupata est; clariora enim non indigent prolixiori expositione, sed statim sua perspicuitate producunt in lectore notiones notionibus Spiritus Sancti conformes. Unde etiam S. Scripturae claritatem tuto asserimus, quanquam non negemus, obviare in ea etiam loca nonnulla, quibus per exegesin lux affundenda est.

Observ. Si quarundam notionum, caetera notissimarum, definitiones vel descriptiones maxime in tropis, metaphoris etc. necessariae sunt, vulgares magis proderunt, quam physicae, e. gr. *Matth.* V, 6. *esurire* et *sitire.* *Psalm.* LXXII, 6. *pluvia, Psalm.* LXV, 11.

§ XII.

Forma.

Forma theologiae exegeticae consistit in habituali cognitione mediorum atque subsidiorum exegeticorum.

Observ. Sunt autem haec

I) *Media*, quorum ope verus sensus Sacrae Scripturae eruitur et demonstratur,

a. textus originalis
b. contextus
c. parallelismi
} consideratio.

II) *Subsidia*, quae usum mediorum exegeticorum facilitant,

a. Grammatica,
b. Rhetorica,
c. Critica,
d. Logica,
e. Disciplinae reales.

Quibus denique addi possunt

III) *Adminicula exegetica*, quae occurrunt in

a. Versionibus S. Codicis,
b. Glossatoribus,
c. Commentatoribus,
d. Lexicis,
e. Concordantiis.

§ XIII.

Finis.

Finis *ultimus* theologiae exegeticae est, quemadmodum in omnibus studii theologici partibus, gloria Dei, 1. *Cor.* x, 31., per *intermedium* tam *proximum* sive interpretationem S. Scripturae, quam *remotum* sive informationem hominis ad salutem per cognitionem divinae voluntatis revelatae promovenda.

Observ. *Interpretari* est docere, quas scriptor cum vocibus suis, alteri minus cognitis, notiones conjunxerit, et cum iisdem conjungendas voluerit. Conf. § *IX. p.* 6.

§ XIV.

Attributa tria: I. Certitudo.

Est autem haec nostra theologia exegetica 1) *certa*: Certitudo contra *Scepticismum exegeticum*, crassiorem atque subtiliorem, confirmatur

1) ex eo, quod nitatur regulis hermeneuticologicis, sine dubio certis, et in aliorum auctorum scriptis explicandis, sine contradictione admissis et infallibilibus. Quod si enim in profanis, immo vero etiam quotidianis, scriptis infallibilitatem gignunt regulae hermeneuticae, quidni etiam in sacris ?

2) ex eo, quod S. Scriptura sive revelatio divina excideret fine suo, propter quem existit, si flexiloqua, dubia, incerta esset ejus interpretatio, nec unquam probabilitatem excederet.

3) ex eo, quod illa ipsa loca, quae ab empaectis in varios sensus detorta fuere, abunde sint vindicata sensusque eorum per legitimam interpretationem determinatus.

4) ex eo, quod verba S. Spiritus aut determinatam aut ambiguam aut omnino nullam habere debeant significationem: Nullam habere, absurdum est; ambiguam, adversatur fini; ergo determinatam.

Observ. I. Qui nihil nisi solam *probabilitatem* per S. exegesin consequi nos posse existimant, vel egregie falluntur, vel notionem probabilitatis alio, ac fas erat, sensu accipiunt. Si enim illam unam, quae ex mathematica demonstratione oritur, veritatem dicere velles *certam*, moralem certitudinem negare deberes omnem, et tandem omnem veritatem praeter mathematicam vocare probabilem. Quam vero certum et evidens est mathematicum illud, *partem minorem esse toto;* tam certum et evidens est, *Gen.* I, 1. indicari, *coelum et terram esse a Deo condita.*

Observ. II. Non omnium S. Scripturae locorum interpretatio dari potest certa, in quibusdam enim obtinet probabilitas, nunc major, nunc minor. Nimirum, *loca*, quae dicere *classica* solemus, quaeque res creditu ad salutem necessarias tradunt, certe explicari possunt, ita ut ἀπόδειξιν dent; sed alia loca, maxime chronologiam, genealogiam, antiquitates etc. continentia, interdum certe nonnunquam probabiliter modo exponi possunt.

Observ. III. Neque varietas sententiarum neque multitudo commentatorum huic obstat certitudini exegeticae.

Observ. IV. *Scepticismus exegeticus*, tam crassus quam subtilis, fugiendus est, neque per conjecturas exege-

ticas in tot observationum libellis sparsas sinistro ausu nutriendus. Non omne possibile etiam est probabile, multo minus certum.

§ XV.

II. Necessitas.

Theologia exegetica est II) *necessaria*, quia

1) scrutinium sacrarum literarum omnibus in genere christianis maxime doctoribus ecclesiae a Deo imperatum est. *Io.* v, 39. *Col.* III, 16. 1. *Tim.* IV, 13—15. 2. *Tim.* III, 15. *seqq.*
2) Theologus absque hac se ipsum de vero sensu S. Scripturae, a tot malitiosis interpretibus subinde corrupto et in dubium vocato, convincere non potest. Quae enim a *Fanaticis* jactatur unctio immediata, vana est, frustra sperata et jam dudum explosa.
3) alios de vero sensu verbi divini erudire debet theologus, quod absque mediis hermeneuticis in theologia exegetica tradendis vel omnino non, vel non eo, quo conveniebat, modo atque ordine et succcessu fieri potest.

Observ. Etsi *Logica* atque *Philologia* ea tradant, quae in interpretatione sacrarum literarum multum juvant interpretem, vana tamen spe ducuntur, qui solis his scientiis instructi exegetica theologia se carere posse, existimant. Generalibus enim regulis addendae sunt speciales. Conf. § *VI. n.* 1. *annot.* 4.

§ XVI.

III. Utilitas.

Theologia exegetica III) est *utilissima* et doctoribus ecclesiae theologis et ipsi ecclesiae. Nam

1) *Ecclesiae doctores* per eam instruuntur, qua ratione se aliosque de vero sacrarum literarum sensu convincere, inque publica et privata verbi divini tractatione et facilius et certius progredi queant; cumque ad habitum tendat tota institutio exegetica, patet, per eam omnes ac singulos labores ecclesiasticos dirigi aeque

ac facilitari. Aliter docet Apollos, adhuc κατηχημένος τὴν ὁδὸν τοῦ Κυρίου, aliter si eandem viam ἀκριβέστερον cognovit. *Act.* XVIII, 25. 26.

2) *Ecclesia ipsa,* idoneos sacrae scripturae interpretes nacta, ab his fidei doctrinas, morum praecepta, solatii argumenta, dubiorum vindicias et solutiones multo solidius ac plenius accipit, quam ab aliis exegeseos sacrae ignaris. Id quod in discrimine ecclesiarum, ante et post reformationem b. LUTHERI, ad oculum patet.

Praeterea 3) *totius theologiae* fundamentum est sacra exegesis, quo vacillante et nutante totum aedificium ruinam atque lapsum minatur. *Eph.* II, 20. 21. Vid. 10. FECHTIUS *de studii biblici cum systematico connexione,* § 1.

§ XVII.

Methodus tradendi S. exegesin.

Cum *methodus analytica* in tradendis scientiis practicis sit commodissima atque facillima, leges ejusdem etiam in docenda sacra exegesi servabimus, ita ut

Lib. I. de *fine sacrae exegeseos,* h. e. de sensu S. Scripturae literali et mystico,

Lib. II. de *subjecto* inhaesionis et operationis, i. e. de exegetae requisitis, et de S. Scripturae libro,

Lib. III. de *principio, mediis* et *subsidiis* exegeticis

simus expositurі.

LIBER I.

DE

FINE THEOLOGIAE EXEGETICAE.

CAPUT PRIMUM

DE

FINE THEOLOGIAE EXEGETICAE,

HOC EST,

DE SENSU S. SCRIPTURAE IN GENERE.

---

§ I.

Finis theol. exeg. quis?

Finis exegeticae theologiae est sensus S. Scripturae vel inveniendus vel cum aliis communicandus.

Observ. I. De fine proximo exegeseos nunc agimus, quem *Proleg.* § *XIII.* *p.* 8. diximus, esse interpretationem sacrarum literarum; has vero literas interpretatur, qui vel ipse investigat, quas notiones scriptor sacer cum vocibus conjunxerit, vel has a se inventas notiones aliis exponit atque demonstrat.

Observ. II. Ex hac interpretatione sequitur *intelligentia S. Scripturae;* nam qui easdem scit notiones verbis

S. Scripturae conjungere, quas sacri Scriptores cum iisdem conjunctas esse voluerunt, is dicitur, sacram scripturam intelligere. Conf. *Proleg.* § *XIII.*

§ II.

Definitio sensus S. Scripturae.

Sensus Sacrae Scripturae est omne id, quod in hac Spiritus Sanctus intendit nobis revelare vel per verba vel per res verbis descriptas.

Observ. *Sensus* est id, quod sentit atque cogitat homo. Hoc si cum aliis vult communicare, certis utitur *signis.*

Haec signa possunt esse varia, siquidem homo variis mediis, e. gr. gestibus, ore ac vultu, factis, figuris et symbolis etc. cogitata sua prodere, aliisque manifestare potest.

Omnium tamen facillima et usitatissima signa sunt voces vel ore prolatae vel scriptae.

Voces sunt igitur signa mentis ejus, qui vel loquendo vel scribendo sua cogitata cum aliis communicare intendit.

Atque hanc mentem auctoris vocibus expressam dicimus *sensum scriptoris.*

Unde constat, *sensum scripturae* cujuslibet recte vocari omne id, quod scriptor intendit revelare.

§ III.

Existentia hujus sensus.

Sensum inesse Sacrae Scripturae, nemo sanus negabit unquam, siquidem ipsa lectio ejusdem nec non finis, propter quem a Deo data est, demonstrat, certum adesse debere scriptorum verborum sensum.

Observ. I. Plura argumenta si quis praeter opinionem desideraret, repetere posset, quae in *Proleg.* §. *VII.* allata fuere.

Observ. II. Lectio sacrae scripturae per experientiam et ocularem demonstrationem confirmat, existentiam hujus sensus. *Finis* autem ostendit, uniquilibet voci conjunctam debere notionem quandam esse, alias voces in codice sacro extantes essent signa vel nihil omnino signantia, vel saltem mentem S. Spiritus nequaquam significantia, id est, vana, frustranea, nullum usum habentia, in aërem ventumque prolata, quod toti fini verbi divini repugnat. *Io.* xx, 31. 2. *Tim.* III, 15. 16. 17.

§ IV.

Determinati sensus Sacrae Scripturae existentia.

Nec varium nec inconstantem neque multiplicem sensum habent Sacrae Scripturae verba, sed *unum* eundemque *determinatum*, unde oritur sacrae exegeseos prima et ea

GENERALIS REGULA:

UNIUS VOCIS ET PHRASEOS IN UNO LOCO, EST UNA TANTUM SIGNIFICATIO, UNUS ETIAM UNIUS DICTI SACRI SENSUS.

Vid. GLASSIUS in *Philolog. sacr. Libr. II. Part. I. Tractat. II. Sect. I. Art. III. Can. II. p. m.* 372. RAMBACHIUS in *Institut. hermeneut. sacr. Lib. I. Cap. III.* § *VIII. p.* 63.

Regula exponitur.

Quoniam haec regula generalis totam exegesin sacram respicit ejusque certitudinem maxime stabilit, explicatione pariter atque confirmatione paullo prolixiori opus habet. Tenendum itaque est,

1) per *unam vocem unamque phrasin* intelligi vocem in oratione simplici positam, non in composita; nam si qua vox in composita enunciatione stat, non pro una sed pro duabus aut pluribus est habenda, unde et compositam significationem sustinere dicitur, siquidem *actu* quidem una est, sed *valore* duas dat voces. Exemplo ex GLASSIO *l. c.* repetendo rem illustrabi-

mus: *Ioel.* II, 13. SCINDITE *corda vestra, non vestes vestras.* Vox *scindite* actu adest una, sed valore duas constituit, est enim in phrasi, *non vestes vestras*, necessario repetenda, ita ut sit phrasis duplex haec: *Scindite* corda vestra, ne *scindite* vestimenta vestra; hinc in priori metaphorice, sed in posteriori proprie accipitur.

2) per *unam significationem* et *unum sensum* intelligi sensum proxime et immediate intentum et per circumstantias sermonis determinatum. *Unus sensus*, immediate a sancto scriptore intentus, plures alios involvit, tanquam mediate intentos et sub illo comprehensos; nam qui unam ponit veritatem: Οὕτως ἠγάπησεν ὁ Θεὸς τὸν κόσμον, *Io.* III, 16., immediate et proxime praedicat amorem Dei erga mundum, sed mediate atque remote confitetur etiam veritatem de existentia Dei, de benignitate Dei, de intellectu, voluntate et affectibus Dei, de S. S. Trinitate, de principio salutis hominum etc. Sed hae veritates non sunt *sensus diversi* verborum allegatorum, sed conclusiones ex uno sensu illo, immediate et proxime intento, derivatae.

Patet inde ad oculum, *applicationem* sensus istius unius non debere confundi cum ejusdem *explicatione*, quod fit ab illis, qui unius dictionis plures esse sensus contendunt.

Regula probatur.

Confirmatur regula 1) *ex natura et proprietate omnis sermonis a viro bono prolati.* Fraudulenti hominis est, nequaquam sinceri, flexiloqua edere effata, more Delphici istius mendacis. Imprudentis autem ac minus circumspecti, si nescius sermones proferret ambiguos et in varios sensus mutabiles. Neutrum horum absque summa in viros θεοπνεύστους injuria de sacris scriptoribus cogitari potest. Si itaque boni viri haec est virtus, ut unius determinatique sensus sint verba sua, multo magis verba τῶν θεοπνεύστων, quae sunt ipsius Dei, hanc habebunt naturam atque proprietatem.

2) *ex fine Sacrae Scripturae*, qui est hominum informatio ad salutem aeternam per fidem in Christum consequendam. *Io.* XX, 31. 2. *Tim.* III, 15. 16. 17. Sed

qui possent homines per ambigua et flexiloqua oracula certe institui, fideique πληροφορίαν consequi?

3) *ex claritate sacrarum literarum*, *Psalm.* CXIX, 105. 2. *Petr.* I, 19., quae tota periret, si unius vocis in uno loco S. Scripturae plures possent esse significationes. Scriptura enim in regulam plane Lesbiam convertitur, si unius dicti et loci plures esse possunt significationes.

Regulae usus.

Hanc ad regulam facile erit judicare, quid de tota *Pontificiorum* interpretatione, de *Judaeorum* cabbalisticis explicationibus, de *Socinianorum* et GROTII strophis ad vaticinia V. Test. de Christo, de *Coccejanorum* hypothesi notissima sit censendum; quippe qui omnes ac singuli in hanc generalem regulam peccant, sensusque Sacrae Scripturae multiplicant. Vid. GLASSIUS *loc. cit.* WOLFG. FRANZIUS de *interpret. sacr. literar.* *p.* 18. *praef.* GUIL. SALDENUS in *otiis theolog. Lib. II. Exercit. VIII.* § *XXI. p.* 292.

Observ. I. Unius vocis et phraseos in uno loco significatio, immediate intenta, non est nisi una; sed ejusdem mediate intentae veritates, ut sunt subordinatae propositiones et conjunctae, plures esse possunt et sunt.

Observ. II. Inter plures sensus *possibiles* non est nisi unus *verus*, a S. Spiritu intentus et certus, atque ope mediorum exegeticorum sedulo investigandus.

Observ. III. Applicatio sensus unius porismatica s. usus Sacrae Scripturae non est confundenda cum sensus ipsius investigatione et demonstratione.

§ V.

Divisio sensus S. Scripturae.*

Sensus Sacrae Scripturae ille unus dividitur 1) in grammaticum et logicum, 2) in literalem et mysticum.

Grammaticus sensus, quis?

1) *Grammaticus* dicitur sensus, quem verba Scripturae Sacrae, quatenus analogiam cum verbis humanis habent, inferunt et per quem lector sensum quidem

verborum grammatice intellectorum capit, nequaquam vero totam rem iis verbis signatam. E. gr. Si quis ethnicus vel Judaeus legeret verba *Io.* III, 16., „*sic Deus dilexit mundum*“, verba quidem intelligeret grammatice ac eatenus recte etiam intelligeret, quatenus amorem Dei celebrari iisdem assequeretur; sed, etsi voces *Deus*, *diligere*, *mundum*, *sic* intelligit, tamen cum voce *Dei* non jungit notionem istius *Dei*, qui h. l. a Spiritu S. intenditur, nempe *Dei Patris*, sed illam, quam vel ut Judaeus de Deo Abrahami, quem solum existere absque Filio et Spiritu, putat, vel ut homo ethnicus de Deo habet, imperfectam scilicet ac minus plenam. Consimili modo cum voce *diligere* conceptum favoris conjungeret vi sensus grammatici, attamen illam ineffabilem benevolentiam atque misericordiam, quae h. l. a Iesu indicatur, non intelligeret homo profanus et naturalis. Et sic se res haberet cum reliquis vocibus, quas tantum grammatice intelligeret.

Observ. I. Fieri itaque potest et solet, ut homo naturalis verba Sacrae Scripturae intelligat grammatice, sensum vero a S. Spiritu intentum non capiat; quippe quem absque S. Spiritus gratia illuminante et hac vel praeveniente vel operante atque cooperante nemo capere potest. 1. *Cor.* II, 14.

Observ. II. Non male dicitur *sensus literae*, quem nos Grammaticum vocavimus; sed minus recte nominatur *potentialis*, quia omnium verborum significatio pendet ab usu linguae, qui jam actu non sola potentia existit. Conf. *Lib. I. Cap. II.* § *II.*

Logicus sensus, quis?

2) *Logicus* est sensus, quem verba Sacrae Scripturae dant ex intentione S. Spiritus.

Hunc si quis omnino non assequitur, sed ab intentione S. Spiritus alienum mente concipit, dici solet sensus *falsus* et fictus; quod si eum tantum ex parte assequitur, vocatur *semiplenus*; Si ex toto et omni ex parte *plenus* sensus nominatur atque *verus*.

Observ. I. Solus sensus S. Scripturae plenus et verus est medium salutis efficax, *Rom.* I, 16., nequaquam semiplenus, multo minus falsus sensus.

Observ. II. Unde constabit, quid de plerisque commentatorum laboribus, maxime extra ecclesiam christianam confectis, sit judicandum.

Literalis et mysticus sensus.

3) *Literalis* et *mysticus* sensus, qua ratione a se invicem differant, docebimus *Lib. I. Cap. II.* § *III.* Nunc unum hoc monemus, illos theologos nostrates, qui sensus mystici existentiam cum CALOVIO, PFEIFERO aliisque negant, non qua rem sed qua phrasin seu loquendi modum a nobis differre, prouti *Lib. I. Cap. III.* § *I.* pluribus exponemus.

LIBRI I.

CAPUT SECUNDUM

DE

SENSU S. SCRIPTURAE LITERALI.

---

§ I.

Definitio.

Sensus S. Scripturae literalis est omne id, quod S. Spiritus intendit revelare per verba sive proprie sive figurate accipienda.

Observ. I. Quem nos ad ductum PAULI Apostoli *sensum* *νοῦν Κυρίου*, 1. *Cor.* II, 16., et h. l. *literalem*, nominamus, is graece etiam *διάνοια* et *τὸ ῥητόν*, dici potest, quemadmodum ebraice מַשְׁמָע, מָשָׁל, הַפְּשַׁט, et פְּשִׁיטָא vocari solet. Vid. GLASSIUS in *Philol. sacr. Lib. II. Part. I. Tract. II. Sect. I. Art. I. p. m.* 365.

Observ. II. Literalis si appellatur sensus, est synecdoche et *ἄγραφος*. Male etiam Fanatici vestigiis ORIGENIS insistentes eam ex 2. *Cor.* III, 6. derivare autumant, quia per *γράμμα* illud, *quod occidit*, non intelligitur sensus verbi divini literalis, sed oeconomia V. Test. legalis, vel, si mavis, lex ipsa materialiter considerata, hoc est, lex in lapideis tabulis scripta literis et vocibus. Vid. WOLFII *Cur. philol. N. Test. Tom. II. p.* 583.

§ II.

Differentia a sensu literae.

Differt sensus, quem dicimus literalem, a sensu literae.

1) *Sensus literae* dicitur illa notio, quam verba S. Scripturae dant grammatice et proprie considerata, e. gr. *Esa.* XI, 6. vaticinatur ESAIAS de *cohabitatione agni et lupi;* quod vaticinium si de agno et lupo, quadrupedibus illis animalibus, accipis, tenes *sensum literae,* id est, quem verba ad literam proprieque accepta signant, si autem de populis ferocibus et bene moratis, de Judaeis atque Paganis communi domicilio in ecclesia N. Test. utentibus intelligis, *sensum literalem* tenes. Add. *Ps.* XCI, 13. *Matth.* XVIII, 8. *Luc.* XIII, 32.

2) Proprie loquendo sensus literae non est sensus Sacrae Scripturae, quia a S. Spiritu non est intentus. Dum enim e. gr. Herodes a Christo nominatur *vulpes, Luc.* XIII, 32., nullo modo intenditur, ut Herodes lectori sistatur tanquam animal istud sylvestre notissimum, sed ut homo propter astutiam summam cum vulpe per metaphoram comparatus. Idem est judicandum de reliquis Sacrae Scripturae locis, in quibus verba proprie accipienda non sunt, si propria eorundem significatio a S. Scriptore non intenditur.

3) Jure itaque affirmatur per divisionem sensus Scripturae in *literalem* et *literae,* sensum Scripturae confundi cum propria verborum significatione ac immerito pro sensu Scripturae venditari, quae tantum vocum grammatice et potentialiter consideratarum erat significatio.

REGULA I.

Etsi *sensus literae*, vulgo sic dictus, non sit sensus Scripturae a S. Spiritu intentus, ideo tamen investigatio ejus negligenda non est.

Probatur regula:

1) quia is, qui in sensum literae peccat, peccat etiam in literalem; nam qui ne quidem vocum significationem grammaticam capit, qui poterit idem realem et impropriam eruere?

2) quia sensus literae, vel accuratius loquendo, propria vocum significatio saepissime dat sensum literalem. Recte enim praecepit SAL. GLASSIUS: *Quicquid* κατὰ τὸ ῥητόν *et sine tropo explicari debet, est sensus lite-*

ralis, et a S. Spiritu intentus; sed non contra. Philol. sacr. Lib. II. Part. I. Tract. II. Sect. I. Art. I. p. m. 370.

REGULA II.

Cave, ne *sensum literae* cum literali confundas, quod fit, si verba figurate accipienda a proprie accipiendis suis locis non distingueres.

Frequentissime impingitur in hanc regulam ita, ut errorum cumulos allegare possemus. Pontificii ignem purgatorium ex 1. *Cor.* III, 13. 15. *Mal.* III, 2. *Ps.* LXVI, 12., Chiliastae regnum Christi millennarium ex *Apoc.* XX, 1. *seq.*, Judaei sua *φυλακτήρια* ex *Deut.* XI, 18. probaturi una cum innumeris aliis in regulam hanc peccant. Vid. MEISNERUS in *Philos. sobr. Tom. II. p.* 687. RAMBACHIUS in *Instit. hermeneut. sacr. Lib. III. Cap. II.* § *III. p.* 433.

REGULA III.

Si *sensus literae*, hoc est, propria vocum significatio a Spiritu S. intenditur, literalis dicendus est.

Conf. hujus capitis § *V. Reg. II. p.* 23., ubi ostendetur, quibus in locis sensus literae, sic dictus, sit etiam literalis.

§ III.

Differentia a sensu mystico.

Differt sensus Sacrae Scripturae literalis ab ejusdem sensu mystico.

Nam 1) literalis est *omnium* in genere locorum, mysticus *quorundam* tantum.

2) literalis est *prior*, mysticus autem *posterior*, de quo non nisi priori satis cognito constare potest.

3) literalis est *verborum*, mysticus *rerum*; sed de rebus judicium ferri nequit, donec de verbis satis constiterit.

§ IV.

Divisio sensus literalis datur nulla.

Etsi sensus literalis vulgo in *proprium* et *improprium* vel in simplicem et figuratum distingui solet, minus recte tamen sese habet haec divisio, quia per eam verborum elocutio cum sensu per verba eloquendo confunditur.

1) *Proprium* sensum dicunt, qui ex verbis in propria et nativa significatione acceptis oritur; *improprium* vero, qui ex verbis figurate accipiendis nascitur. E. gr. *Io.* III, 16. *Sic dilexit Deus mundum* etc. proprium habere sensum dicitur, sed *Cant.* III, 1. *De nocte quaerebam in lecto meo* etc. improprium sensum dare, vulgo creditur.

2) Non tam sensum quam elocutionem in his variare, recte observavit VAL. ERN. LOESCERUS in *breviar. exeget. Part. I. Cap. I.* § *IV. p.* 143. Unde consequitur, ut potius elocutio sit dicenda vel propria vel figurata quam sensus, quippe qui non est nisi unus.

§ V.

Regulae de sensu literali.

De investigatione sensus literalis tenendae sunt regulae sequentes:

REGULA I.

Sensus literalis in uno eodemque loco et dicto non nisi unicus esse potest.

Huc repetenda sunt singula, quae supra de uno cujuslibet dicti Sacrae Scripturae sensu vero disseruimus *Lib. I. Cap. I.* § *IV.* E. gr. Si de sensu verborum institutionis sacrae coenae, *hoc est corpus meum*, disputatur, vel illorum, qui τὸ EST proprie de praesentia reali corporis Christi, vel istorum, qui τὸ EST figurate de mystica repraesentatione interpretantur, explicatio vera esse debet; nam unius dicti non nisi unus potest esse sensus immediate a S. Spiritu intentus.

REGULA II.

A propria vocum significatione absque urgente necessitate manifesta recedendum non est.

1) Generalis haec est regula, quae non modo in interpretatione sacrarum literarum sed et cujuslibet scripti valere debet. Nam omnis scriptor bonus praesumitur id loqui et sentire, quod verba primo obtutu secum ferunt; verba autem id primo omnium offerunt, quod proprie significant; est enim sensus verborum proprius semper prior figurato, plerumque clarior etiam figurato.

2) *Evidens necessitas*, ut a propria verborum significatione discedat interpres, non est pro arbitrio fingenda, sed ex certis atque evidentibus rationibus demonstranda. Haec demonstratio pendet a prudenti *mediorum hermeneuticorum* usu, *contextus* nempe *parallelismi* et ipsius *textus originalis* consideratione, de quibus *Lib. III. Cap. III. IV. V.* ex instituto agemus. Nunc ex his praelibabimus ea, quae ad propositum nostrum pertinent, ut statim in ipso limine exegeseos sacrae constet interpreti, ubi vel vera vel ficta necessitas recedendi a proprietate literae adsit.

3) *Vera necessitas* recedendi a propria vocum significatione adest, si

a) *propria significatio adversatur contextui*, hoc est, antecedentibus et consequentibus, scopo, circumstantiis etc., siquidem per hunc contextum ipse S. Spiritus de significatione vocum dubiarum satis clare monere solet. E. gr. *Es.* LI, 1. *petrae* et *foveae* notionem figurate esse accipiendam, docet subsequens v. 2. Sic etiam *Io.* VII, 38. *aquam vivam* non esse de aqua proprie sic dicta, sed de S. Spiritu explicandam, ostendit *v.* 39. sequens apertissime. 1. *Cor.* III, 13. *ignem* proprium et culinarem non posse intelligi, confirmat tota textus cohaerentia et scopus; loquitur enim Paullus de exploratione veritatis, quae per ignem culinarem et proprium fieri nequit.

β) *si proprius verborum sensus impingeret in parallelismum S. Scripturae*; cum enim singuli libri V. Test. et N. Test. unum habeant auctorem, Spiritum veritatis infallibilem sibique semper constantem, in

his contradictio vera adesse non potest, sed locus ex loco explicandus est, et quod in hoc videbatur esse paullo obscurius, ex alio clariori collustrandum est, ut ipse fecit IESUS, cum per parallelismi subsidium pravam diaboli allegationem et interpretationem confutaret, *Matth.* IV, 7. 8. Est autem parallelismus triplex: *doctrinae fidei*, *doctrinae morum*, et *historiae sacrae*. Recedendum itaque est a sensu vocum proprio, si 1) *parallelismus locorum aliorum de eadem doctrina fidei clare agentium adversatur.* E. gr. *Luc.* XI, 20. *digitus Dei* proprie accipi nequit, quia Deum esse Spiritum, ex *Io.* IV, 24. aliisque locis scripturae patet, et parallelus locus, *Matth.* XII, 28., signanter Spiritum Dei loco digiti Dei nominat. *Ier.* XXXI, 26. adscribitur Deo *somnus*, sed cum ex *Psalm.* CXXI, 3. 4., et ex natura Spiritus infiniti toties in S. Scriptura inculcata satis constet, somnum, proprie talem, in Deum cadere non posse, evidens patet ratio, cur h. l. a propria vocis significatione sit recedendum. Idem judicium ferendum est, si 2) *parallelismus locorum de eadem doctrina morum agentium contrariatur.* E. gr. *Matth.* XVIII, 8. membrorum corporis abscissio et abjectio, quam nonnulli in extremo casu necessitatis ex verbis IESU probare voluerunt, repugnat amori proprio nobis imperato, *Matth.* XXII, 39. *Rom.* XIII, 14. *Ephes.* V, 29., et quinto praecepto, *Exod.* XX, 13., nec impedire etiam posset, ut ne pravae cupiditates vel remanerent vel redirent in anima; ergo propriam vocum significationem dimittendam esse et singulare hoc praeceptum de privatione et abdicatione rerum gratissimarum saluti nostrae aeternae obstantium accipiendum esse, patet. Quod si denique 3) *parallelismus historiae sacrae* repugnat proprietati vocum, haec deserenda quoque erit. Huc e. gr. referrem ego quidem id, quod 1. *Cor.* XV, 32. de θηριομαχία commemorat Apostolus, historia enim ignorat, Paullum cum leonibusat que feris pugnasse et per miraculum (cujus memoria profecto in sacris literis servanda fuisset) a leonum rabie liberatum fuisse; e contrario pugnae istius, quae *Act.* XIX, 23. *seqq.* prolixe describitur quaeque cum summo vitae periculo conjuncta fuit, meminit, ad quam Paullus per istud θηριομαχεῖν videtur respexisse.

4) *si propria vocum significatio repugnaret regulae exegeticae generali:* TALIA SUNT SUBJECTA, QUALIA PERMITTUNTUR A SUIS PRAEDICATIS et vice versa. Nititur enim haec regula generalis ipso sanae rationis dictamine, quod docet, absona et *ἄλογα* loqui atque scribere eum, qui nexus inter subjectum et praedicatum oblitus talia de subjecto praedicat, quae cum hoc nullam plane habent connexionem. Deum vero et viros *θεοπνεύστους* tam absona et tam *ἄλογα* potuisse et voluisse scribere, quis quaeso sine summa impietate cogitaret? Exempla assertum nostrum illustrantia dabimus et faciliora et difficiliora. *Io.* I, 10. *mundus*, qui IESUM non cognovit, proprie de universo mundo aspectabili nequit intelligi, quia hujus non est fides in IESUM salutaris. *Rom.* VIII, 8. per eos, qui in *carne* sunt et Deo placere non possunt ideo, quod sunt in carne, omnes ad unum homines intelligi nequeunt, quia alias nemo hominum salvari posset; nec etiam illi, qui in matrimonio vivunt, sunt intelligendi, ut volunt nonnulli Pontificii, quia sic omnes maritati regno coelorum excluderentur, id quod absurdum. Qui *Rom.* VIII, 19. 20. *κτίσιν* de hoc universo et omnibus de rebus creatis, etiam inanimatis per *προσωποποιΐαν* exponere satagunt et a litera recedere nolunt, videant, an *ἀπολύτρωσις τοῦ σώματος*, quae *v.* 23. de hac creatura (*κτίσει*) praedicatur, in res inanimatas cadere queat.

Observ. Vulgo accusatur ecclesia nostra evangelica, ac si in interpretatione verborum CHRISTI de sacra coena, HOC EST CORPUS MEUM, in hanc impingeret regulam, quia de corpore CHRISTI humano tanquam de subjecto talia praedicari contenderet, nempe omnipraesentiam s. infinitam praesentiam, quae de subjecto s. corpore CHRISTI humano praedicari nullo modo possunt. Corpus enim infinite praesens esse non posse. Nec spernenda esset haec objectio, si subjectum esset corpus humanum nudum et solum, sed, cum de corpore *τοῦ Θεανθρώπου* in infinita divina hypostasi subsistente et cum natura filii Dei divina *ὑποστατικῶς* unito, sermo sit, nexus subjecti hujus et praedicati manifestus est omnisque *ἀλογία* nostrae sententiae imputata sua sponte evanescit.

Necessitas ficta.

5) *Fictae* necessitatis, ut a proprio vocum sensu recedat interpres, variae dantur species, ut,

α) *si sola sana ratio allegatur*, quippe hac sub larva omnia Naturalistarum somnia vendi videmus, omniaque profanorum Scripturae S. corruptorum deliramenta. E. gr. SOCINUS, quia incarnationem Filii Dei habet rationi adversam, in clarissimis verbis, Ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, a proprietate literae, *Io.* I, 14., recedit. Qui de miraculis S. Scripturae, cum TH. BROWNIO, impie sentiunt, eademque in naturae effectus ordinarios mutare student, etiam sanam rationem urgere solent. Consimili modo errant alii fere innumeri inepte concludentes: *Hujus vocis significationem propriam ratio mea non adsequitur, ergo impropria est excogitanda.* Sed, cum intellectus humanus post lapsum sit corruptus ac insuper finitus semper, facile intelligitur, lubrico inniti fundamento, qui rationem Scripturae interpretem esse volunt. Vid. *Lib. III. Cap. I.* § *VIII.*

β) *si possibilitas sola allegatur.* Ut enim a possibilitate ad existentiam entis nunquam recte concludi potest, sic etiam nullo modo sequitur, ut, ubi verba figuratam significationem habere possent, propria ideo sit deserenda. E. gr. 1. *Reg.* XVII, 6. per *corvos* laicos, et per *Eliam* monachos, per *carnem* omnia ad victum necessaria intelligi posse indeque monachos a laicis nutriendos esse, doceri posse, affirmarunt quidam Pontificii nugatores risum citius quam assensum promeriti. Vid. MEISNERI *Philos. sobr. Tom. II. p.* 688.

γ) *si sola auctoritas ecclesiae vel Patrum obtenditur;* id quod a Pontificiis ubique fieri solet et a recentioribus Graecis, quibus ne ad latum unguem licet a majorum suorum sententiis discedere. Ipsi vero Patres a se invicem saepe distant ita, ut alter proprium alter in eodem loco figuratum sensum commendet, quis tunc altercationis erit judex? Vid. DALLAEUS *de usu Patrum, Lib. II. Cap. V. p.* 293.

δ) *si significationis propriae difficultas, figuratae facilitas allegatur.* Non sequitur, verba hujus et illius dicti proprie accepta intellectu sunt difficilia, sed improprie intellecta sensum dant cognitu faciliorem, itaque facilior etiam est verior sensus. Nam cum S. Scriptura contineat eloquia divini intellectus nostri intellectus finiti capacitatem infinite superantis aliter fieri vix potest, quam ut multa

in iis obvient, quae non statim, sed post diuturnam considerationem et meditationem auxilio gratiae divinae rite accipiuntur.

si major utilitas significationis figuratae obtenditur, prouti fecit ORIGENES, cujus verba ex *Homil. VI. in Genesin* repetiit RAMBACHIUS in *Instit. Hermeneut. Sacr. Lib. I. Cap. III.* § *VI. p.* 60.

si a loco ad locum fit argumentatio; etsi enim uno forsan in loco vox accipiatur figurate, alio ut etiam in loco hanc significationem habeat, necesse non est. Optime intelligit Logicus, argumentationem a particulari ad particulare esse maxime incertam. Exemplum falsae ejusmodi argumentationis nobis dederunt, qui a loco *Genes.* XLI, 26. ad verba institutionis S. Coenae concludere voluerunt. Vid. SCHERZERUS in *Colleg. Anti-Calv. p.* 581. Rectissime FLACIUS monuit: *Multi hoc tempore volentes demonstrare tropum loci alicujus, satis habent, unum aut alterum exemplum utcunque simile proferre. Quod quid aliud est, quam a particulari ad universale argumentari? Pro declaratione forte hoc satis sit, at pro evidenti demonstratione nequaquam. Clav. lingu. sanct. Part. II. Tract. IV. p.* 219.

REGULA III.

Propria vocum significatio maxime in classicis locis S. Scripturae stricte est tenenda.

His enim in locis, ubi S. Spiritus ex instituto et data opera de rebus scitu ad salutem aeternam necessariis nos informare voluit, tropi non praesumuntur, sed proprietas vocum figurata significatione omnino prior atque evidentior. Vid. GLASSIUS in *philol. sacr. Lib. II. Part. I. Tract. II. Sect. I. Art. IV. Can. II. p. m.* 402. 403. FLACIUS in *Clave S. Script. Part. II. Tract. IV. p.* 218. Ipsa etiam inspectio locorum praecipuorum confirmat, S. Spiritum articulos fidei omnes in suis primariis sedibus summa perspicuitate exposuisse. E. gr. *Io.* III, 16. 1. *Tim.* III, 16. 1. *Tim.* II, 4. 5. etc.

REGULA IV.

Omnia S. Scripturae loca habent suum sensum literalem, etiam illa, quibus mysticus simul inest.

Etenim sensus literalis est quasi vehiculum mystici sensus. Literalis sensus est πρότασις, mysticus ἀπόδοσις. De mystico sensu prius nequit constare, donec de literali prius constiterit. E. gr. Significationem typicam *aenei serpentis*, *Num.* XXI, 8., exponere nemo poterit, nisi antea historiam Mosis sensu literali explicandam intellexerit; ipseque Moses loc. cit. non solum typicum illum, *Io.* III, 14., a Iesu commemoratum aspectum in fide vera docere voluit, sed et factum illud mirandum de sanatione vulneratorum per aspectum, proprie talem, serpentis erecti. Adde aliud exemplum ex *Exod.* XII, 46. collat. *Io.* XIX, 36.

REGULA V.

Sensus literalis maxime est argumentativus, tamen non excluso sensu mystico.

Conf. *Lib. I. Cap. III.* § *XII. Reg. IV.* add. GLASSIUS *in philol. sacr. l. c. Art. III. Can. V. p.* 396. 397. Verba propria dant quidem argumenta firmissima, quae singulari gaudent evidentia atque claritate. Sed cum nonnullorum locorum sensus mysticus etiam sit evidentissimus et a S. Spiritu clare admodum indicatus, patet, THOMAM AQUIN. fallere, quando *P. I. Qu. I. Art. X.* existimavit, *ex solo sensu literali peti posse firma et efficacia argumenta.*

REGULA VI.

Dicta prophetarum V. T. de Christo sensu literali agentia non sunt mystice tantum de eo explicanda.

In hanc regulam per se claram certamque gravissime impingunt, quotquot cum HUG. GROTIO, RICH. SIMONIO, IO. CLERICO, IO. CALVINO, GUIL. WHISTONO

aliisque, firmissima V. T. testimonia de Christo in Prophetarum scriptis obvia negant sensu literali de eodem agere, sed tantum per mysticam accommodationem; *quo pacto omnem ad probandum vim atque valorem amittunt penitus*, prout optime censuit HUNNIUS in *Calvin. Judaizant. p.* 7., quo in libello multis vehementer inviso plura huc referenda exempla biblica occurrunt, quibus addi poterunt, quae CALOVIUS in *Bibl. illustr. ad Psalm.* II. *Esa.* LIII. etc. disputavit.

Falsissimum est, prophetas sub umbris tantum de Christo vaticinatos fuisse, cum accurata textus hujusque circumstantiarum consideratio et dictorum V. Test. allegatio in N. Test. toties et ad confirmandos fidei articulos facta abunde doceat, quod in V. Test. testimonia secundum literam de Messia accipienda non desint. E. gr. de *Psalm.* XXII. affirmat HUG. GROTIUS, describi hac ode *Davidis profugi calamitates, neque tamen impedire quicquam, quo minus sensu sublimiore ad Messiam respiciat; saepe enim evenire, ut verba in sensu mystico significationem habeant apertiorem, minusque figuratam.* Cui asserto et allegatio hujus Psalmi toties in N. Test. facta de Messia, *Matth.* XXVII, 35. 46. *Marc.* XV, 24. 34. *Io.* XIX, 18. 23. 24. *Luc.* XXIII, 34. *Ebr.* II, 11. 12., et ipsius contextus consideratio, a CALOVIO in *Bibl. illustr. ad. h. l.* invicto modo ostensa, manifeste obstat. Ut itaque satis constare queat, prophetas V. Test. ex instituto de Christo vaticinatos omnino fuisse et quidem verbis significatione propria accipiendis sensuque literali de eodem subjecto exponendis.

Add. *Esa.* LIII. *tot.* XLV, 23. coll. *Rom.* XIV, 11. *Gen.* III, 15. *Ps.* CX. *tot. Ps.* LXIX. *tot.* etc.

LIBRI I.

CAPUT TERTIUM

DE

SENSU S. SCRIPTURAE MYSTICO.

---

§ I.

Definitio.

Sensus mysticus Sacrae Scripturae est omne id, quod S. Spiritus in verbo divino nobis intendit revelare per res verbis descriptas.

Vocis etymologia.

1) De graeca voce Μυστικὸς prolixe nunc non commentabimur, sed ad Philologos remittemus, qui ex scriptoribus Graecis antiquis disseruerunt de vocibus *μυστήριον*, *μυσταγωγός*, *μύστης* etc., a graeco themate *μύειν* derivatis, nec non de mysteriis veterum Graecorum Eleusiniis aliisque ex instituto disputarunt. Nobis, qua vocem, repetiisse satis erit, quod h. l. *μυστικόν* respondeat voci latinae *occultum*, *arcanum* notetque sensum sublimiorem, non eo, quo literalis, modo in oculos incurrentem sed altiori institutione et meditatione investigandum.

An recte dicatur mysticus sensus?

2) An id, quod S. Spiritus per res intendit revelare, possit *sensus Scripturae* vocari, disceptatur inter theologos. Utraque pars concedit, in Scriptura dari loca, quae ex intentione divina contineant symbola aliarum quam harum rerum, quas verba literaliter accepta signant. Num vero haec significatio rerum per res nominari *sensus* an rectius *accommodatio*, divina nempe

et a S. Spiritu intenta, dici debeat, lis est suborta. CALOVIUS in *System. theol. Tom. I. p.* 663. AUG. PFEIFERUS in *Thesaur. hermeneut. Cap. III. Can. X. p.* 168. WHITTAKERUS in *Controv. de Scriptura S. Quaest. V. Cap. II.* NEUMANNUS in *Theol. aphorist. p.* 177. aliique negarunt, ἀκριβῶς loqui, qui *sensum* dicunt id, quod accommodationem sensus rectius et usum dici cupiunt. E contrario, qui GLASSIUM sequuntur, sensumque dicunt *omne id, quod S. Spiritus intendit revelare,* putant, praestare appellationem *sensus* et ob definitionis mox allatae amplitudinem et ob strophas Socinianas de accommodatione. Vid. THEOD. HACKSPANIUS in *not. philol. theol. Part. II. p.* 263. 736. Dum enim S. Spiritus historiam de triduana Ionae in ventre piscis commoratione scripsit, non solum intendit, factum hoc singulare narrare, sed etiam triduanam Christi in terra mansionem menti lectorum repraesentare. *Matth.* XII, 40. Quidni hoc posterius dixeris *sensum,* h. e. id, quod S. Spiritus revelare intendit. Nec est, ut objicias sensus S. Scripturae unitatem supra confirmatam; cum longe aliud sit, *duplicem* vel multiplicem esse dicti unius sensum et, unum illum sensum esse ex literali et mystico *compositum.* Homo est ex anima invisibili et corpore visibili compositus, non ideo duplex dicendus sed unus. Sic etiam loca nonnulla Sacrae Scripturae ex sensu verborum et rerum composita ideo nondum duplicis, neque multiplicis significationis sunt dicenda. Sed cum tota quaestio abeat tandem in meram de voce, *sensus,* contentionem et magis ad methodum quam ad rem pertineat, ulteriori disquisitione supersedebimus, GLASSII tamen methodum et appellandi rationem secuturi ex lege definitionis quam dedimus de sensu scripturae.

§ II.

Existentia sensus mystici.

Mysticum S. Scripturae sensum re quidem vera existere, et ab ipso Spiritu S. intendi in quibusdam locis, confirmat allegoriarum, parabolarum atque typorum existentia postea a nobis confirmanda.

1) Quod si enim loca S. Scripturae quaedam praeter literalem sensum etiam allegoricum, parabolicum atque typicum habent, ex intentione Spiritus S. in aprico est mystici sensus existentia, quia existentia specierum dat existentiam generis. Conf. *Gal.* IV, 22. 23. 24. Nec est, ut in hac conclusione petitionis principii accusemur, cum §§ IV. V. VI. proxime sequentes specierum existentiam clarissime docere possint.

2) Omnibus locis S. Scripturae inesse sensum mysticum, contendunt *Fanatici* literalem sensum plane negligentes. *Pontificii* in simili haerent errore, et cujusque loci S. Scripturae sensum quadruplicem esse volunt *literalem*, *allegoricum*, *tropologicum*, *anagogicum*. Vid. ROB. BELLARMINUS *de Verbo Dei Lib. III. Cap. III. § II.* BECANUS *Part. II. Theol. Scholast. poster. Tom. Cap. III. Quaest. V. Opp. Tom. I. p. m.* 396. Nos autem nequaquam in omnibus sed tantum in quibusdam Scripturae locis sensum mysticum admittendum esse censemus, nempe in illis, ubi ipse S. Spiritus per criteria certa de hoc sensu mystico monuit.

3) In alterum extremum ruunt alii, qui mystici sensus existentiam plane negant et praeter accommodationem ab hominum ingenio pendentem iis, quae nunc tractamus, locis Scripturae nihil inesse putant. SOCINIANI, ut facilius oracula V. T. de mysteriis fidei eludant, in hoc errore versantur, iisdemque nihil praeter accommodationem quandam absque intentione S. Spiritus factam omnique probandi vi destitutam inesse contendunt. Vid. HACKSPANII *syllog. disput. p.* 417. ARMINII discipuli iisdem insistunt vestigiis, quo factum est, ut IO. CLERICUS, HUGO GROTIUS, LIMBORGHIUS, pleraque testimonia V. Test. de Christo, non nisi per accommodationem, agere affirmarent hocque asserto iis omnem vim probandi contra Judaeos et Socinianos denegarent. Nec negari potest, inter doctores coetus Reformati quosdam CALVINUM secutos sensum mysticum explosisse et in nudam humanam accommodationem convertisse, cum IO. MASSONO, GUIL. SURENHUSIO et aliis: quos nihil juvat effugium suum, quod accommodatio haec in infallibili Apostolorum ore acceperit vim demonstrativam. Nam si apostoli sua modo auctoritate uti voluissent, opus non habuissent, ut ad dicta V. Test.

provocarent; ad dicta V. Test. inquam, quae per se id non probarent, quod probare deberent; sufficere potuisset, quod Apostoli suis verbis hoc vel illud asseruissent. De Neo-Ariana schola GUIL. WHISTONI constat etiam, quod dictorum Vet. Testamenti sensum mysticum neget et stilum sacrum accuset, quasi non ubique satis cohaereat, unde fiat, ut hoc in commate de hoc proxime insequenti autem de alio subjecto sermo sit accipiendus, quo asserto omnem destruit mysticum sensum. Vid. CLERICI *biblioth. chois. Tom. XXIII. Part. II. p.* 435. Parum ab his abfuit RICH. SIMONIUS, qui contra BOSSUETUM, episcopum Meldensem, disputans affirmat, Apostolos κατ' ἄνθρωπον loqui, quoties dicta V. Test., quibus mysticum sensum nos inesse putamus, allegarent; nimirum, quia Judaei, contra quos Apostoli pugnant, allegoricum sensum ubique in primis in suis Medraschim jactaverint, Apostolos ex hac licet erronea opinione contra eos decertasse nec sine fructu, quia propriis telis confossi veritati cedere debuissent Judaei. Vid. SIMONII *Histoir. Critique du N. Test. p.* 244. MAIUS in *Exam. Hist. Crit. N. Test. P. Rich. Simon. Cap. XXI. § II. p.* 272 *seqq.* Denique celebr. GE. LUD. OEDERUS asseruit, nullum extare vaticinium, quod in N. T. de Christo accipi, in V. Test. autem de alio quodam agere comperiatur, typis quidem inesse sensum mysticum, nequaquam verbis, sed omnia loca V. T. de Christo in N. Test. allegata agere literaliter de Christo, non mystice. Vid. OEDERI *Conjectur. de difficilioribus locis S. Scr. Centur. p.* 513. 517. *seq.*

§ III.

Divisio sensus mystici.

Sensus mysticus S. Scripturae dividitur in

1) allegoricum,
2) parabolicum,
3) typicum.

Observ. I. RAMBACHIUS hanc divisionem noluit admittere, quia omnes hae species commune habeant fundamentum, quod nimirum res sint signa rerum alia-

rum. Vid. *Instit. hermeneut. sacr. Lib. I. Cap. III.* § *X. p.* 68. Sed, utut fundamentum habeant commune, differunt tamen quoad speciem. Nam 1) in allegoria fit dicti factique veri, 2) in parabola fictae rei et 3) in typo personae et rei V. Test. translatio ad significandam rem spiritualem. Quam longe autem res vera a ficta differat, quis ignorat?

Observ. II. REINHARDUS in *Hermeneut. sacr. p.* 47. existimat, typum et parabolam latere sub allegoriae notione ideoque divisionem nostram rejicit. Sed allegoriae rhetoricae notionem videtur confundere cum notione allegoriae exegeticae, de qua sequ. § IV. disseremus.

§ IV.

Allegoricus sensus.

Allegoricus sensus datur in illis locis Scripturae, quorum vel dictum vere prolatum vel factum vere gestum transfertur ad rem spiritualem significandam ex intentione S. Spiritus.

E. gr. *Gen. II,* 24. verba agunt sensu literali de matrimonio deque unione mariti et uxoris; sed in lectione eorundem atque expositione esse quoque de mystica unione Christi cum sponsa sua cogitandum, docet PAULUS *Eph.* V, 31.

Exod. XII, 15. 17. agit literaliter de fermento expurgando; simul autem in ejus expositione cogitandum esse de mandata mentis sanctificatione, ostendit PAULUS 1. *Cor.* V, 7.

Gen. XVI. et *XXI.* agunt sensu literali de duplici matrimonio Abrahami; sed per illud ipsum matrimonium repraesentari sensu allegorico duplex testamentum, vetus et novum, monet idem Apostolus *Gal.* IV, 22. 23. 24., quo in loco ipsa etiam allegoriae vox occurrit, Ἅτινά ἐστιν ἀλληγορούμενα.

Observ. I. Sensus allegoricus est in S. Scriptura rarior ac vulgo censetur. Quod si enim allegorias a S. Spiritu intentas separamus ab his, quas ingenium humanum propter insignem rerum similitudinem excogita-

vit, h. e. *innatas* ab *illatis*, asserti nostri veritas constabit, quicquid Origenistarum Romanensiumque turba obganniat.

Observ. II. Allegoria rhetorica non est cum allegoria *exegetica* vel cum sensu Scripturae allegorico confundenda. In rhetorum scholis allegoria est affectio troporum notatque continuationem eorum, quae per metaphoram, metonymiam, synecdochen dicuntur. Vid. VOSSIUS in *Instit. Orator. Libr. IV. Cap. XI. p. m.* 192. *edit.* 1643. Talium allegoriarum usus in sacris literis est frequentior, prouti ex BAUMANNI, BOTSACCI scriptis et collectionibus patet; dant vero omnes non sensum mysticum sed sensum literalem figuratis verbis prolatum.

REGULA I.

Regula de sensu allegorico.

Ad sensum S. Scripturae mysticum pertinent solae innatae allegoriae, h. e., de quibus constat, quod a S. Spiritu fuerint intentae.

Exempla huic paragrapho subjecta habent sua criteria intentionis divinae ideoque continent innatas allegorias. Sed cautione opus est, ne semper allegorias adesse credamus, ubi vulgo ab interpretibus quaeruntur. Sic e. gr. nollem ego verbis *Deut.* XXV, 4. de bobus triturantibus sensum allegoricum a S. Spiritu intentum adscribere, etsi fuerint in N. T. ad operas ministrorum ecclesiae translata. 1. *Cor.* IX, 9. Mihi enim videtur, quod Apostolus concludat a minori ad majus, Deum nempe prospexisse bobus, ne alimentis necessariis privarentur, multo magis igitur voluntati divinae esse consentaneum, ut ministri ecclesiae necessariis alimentis atque stipendiis sustententur. Consimili ratione putarem ego, ex *Luc.* XVII, 32. haud satis recte concludi posse ad allegoricum sensum totius historiae de uxore Lothi in statuam salis conversa. Christus enim admonitionem suam de acceleranda praeparatione ad adventum suum exemplo quodam collustrasse mihi videtur, nequaquam testimonio Scripturae allegorico confirmasse.

REGULA II.

Allegorismus est vitandus.

Allegorismus est vitium exegeticum, quo vel neglecto vel plane abjecto sensu literali ubique allegoriae in sacris literis quaeruntur. Nihil enim fere occurrit in Scriptura sacra, quod ab allegorismi patronis non detorqueatur in allegoricum sensum ne exceptis quidem divinis praeceptis, comminationibus, promissionibus et piorum votis, precibus etc. Non modo ORIGENES cum suis discipulis sed et plerique *Romanensium* interpretes hoc vitio laborant et sensum verborum spiritualem ubique urgent. *Fanatici* eo usque allegorismo dediti sunt, ut literam plane abjiciendam putent, et THEOPHR. PARACELSUS, HELMONTIUS aliique fratres Rosecrucigeri ex historia creationis totam alchymiam haurire velint. De temerariis conatibus THOM. BURNETI in *Theoria telluris* et in *Archaeologiis philosophicis*, quibus totam creationis historiam in allegorias commutare studuit, nec non de ausu imprudenti HERMAN. DEUSINGII in *Demonstratione historiae allegoricae V. et N. T.*, ubi ipsum venerandum S. S. Trinitatis mysterium in allegoriam mutare conatus est, aliunde satis constabit. Vid. RAMBACHII *Instit. hermen. sacr. Lib. I. Cap. III.* § *XIII. p.* 80. Neque absolvendi ab hac labe sunt plerique Coccejanorum, quorum singulare allegorismi specimen dedit MEL in *Einleitung zu den prophetischen Schriften p.* 27. *seq.*

REGULA III.

Allegoriae illatae debent esse faciles, concinnae atque rarae.

1) Scriptura sacra est verbum Dei de rebus sanctissimis, gravissimis ac plane divinis agens et scribens; cavendum itaque est, ut ne ingenium humanum cum eo ludere idque, ut aliud quodvis verbum humanum, huc et illuc flectere velit. Per nimios enim ingenii lusus tales auctoritas S. Scripturae et veritas sensus unici infringitur, ansa cavillandi datur, fides infirmorum debilitatur, veneratio, quam Dei eloquiis debemus, sensim sensimque destruitur omnisque certitudo exegeseos sacrae suspecta redditur.

2) Quis risum tenere poterit, si HIERONYMUS per *munda animalia* in arca Noae virgines, sed per *immunda* maritatos vult significari? Cachinnum excitat INNOCENTIUS III. in *Decret. Gregor. Lib. I. Tit. XXXIII. de majoritate, Cap. VI. solitae*, si verba MOSIS, *Gen.* I, 16.: *Fecit Deus duo luminaria magna in coelo*, de Papa et Imperatore Romano interpretatus est addiditque, *majus luminare* esse Papam, *ut praeesset diei*, hoc est, ecclesiae, *minus* esse Imperatorem, *ut praeesset nocti*, id est, regno saeculari. Plura exempla ridicula recensuit MEISNERUS in *Philosoph. sobr. Tom. II. p.* 688. GLASSIUS in *Philol. sacr. Lib. II. Part. I. Tr. II. Sect. III. Art. IV. p. m.* 418. de Pontificiorum allegoriis *p.* 422., de Rabbinorum allegoriis *p.* 425. *seqq.* Recentius specimen allegorismi inepti dedit CONRADUS MEL in *Einleitung zu den prophetischen Schriften, p.* 27., ubi non solum historiam de Esavo et Iacobo ad certamina Pontificiorum et Evangelicorum, sed etiam, Iacobi liberos, alios ex Lea, alios ex Rahele susceptos ad Lutheranos et Reformatos applicandam esse, censuit.

§ V.

Parabola, quid sit.

Parabola est, si qua res verisimilis ut gesta narratur, quae tamen vere gesta non est, ad illustrandam rem spiritualem.

Vocis Parabolae derivatio.

1) Parabolae vox descendit a graeco παραβάλλειν, quod *appellere, adjicere* significat et comparationem rei cum re per metaphoram designat, unde et CICERO eam latino *collationis* verbo exposuit. Reliqua, quae ad ὀνοματολογίαν parabolae spectant, vide sis apud GLASSIUM in *Philol. S. Lib. II. Part. I. Tract. II. Sect. V. p. m.* 474. 475.

Differentia parabolae ab allegoria, historia etc.

2) Differt parabola

a) ab *allegoria*, quae est narratio rei vere gestae ad rem spiritualem signandam translatae, juxta § IV. e con-

trario parabola rem fictam ut gestam refert et ad rem spiritualem applicat.

b) ab *historia*, quae est narratio rei vere gestae nihilque aliud quam facti relationem ex intentione loquentis et scribentis continet.

c) ab *exemplo*, quo res gesta ut recte facta alterius rei gestae similitudine et rectitudine defenditur, *Matth.* XII, 41. 42.

d) ab *apologo* seu *fabula*; nam parabola fingit, quae in mundo fieri et solent et possunt, sed fabula fingit, quae neque solent neque possunt fieri. Vid. *Jud.* IX, 8. *seqq.* 2. *Reg.* XIV, 9. *Ezech.* XVII, 2. *seq.* Fabulas tales, quas descripsimus, dedit PHAEDRUS aliique bene multi nostra potissimum aetate poëtae haud infelices. HUGO GROTIUS parabolas Scripturae S. voluit fabulas dicere, passim ideo notatus, sed a SALDENO in *otiis theolog. Lib. IV. Exerc. IV.* § *IV. p.* 694. excusatus his quidem verbis: *Quin ne ipse quidem Deus soloecismis offenditur, modo mens sit sincera.* Pulchre quidem.

e) a *mendacio* et *falsiloquio*; recte enim monuit AUGUSTINUS: *Non omne, quod fingimus, mendacium est, sed quando id fingimus, quod nihil significat, tunc est mendacium. Cum autem fictio nostra refertur ad aliquam significationem, non est mendacium, sed aliqua figura veritatis.* Vid. *Lib. II. Quaest. evangel. Quaest. XLI.*

3) Nonnunquam difficile est, parabolam ab exemplo et historia distinguere. E. gr. multi interpretes parabolam de homine Hierosolymis Hierichuntem profecto et a latronibus vulnerato, *Luc. X,* 30. *seq.*, cum GLASSIO censent exemplum esse, alii fictam narrationem. Sic etiam, quae *Luc.* XVI, 1. de dispensatore prudenti relata leguntur, alii ad historias, alii ad parabolas pertinere judicarunt. Narratio de divite epulone et Lazaro, *Luc.* XVI, 19. *seqq.*, a nonnullis censetur pro exemplo, a plurimis pro parabola, a quibusdam vero, qua partem priorem, *v.* 19. 20. 21. 22., pro historia, sed qua partem posteriorem, a *v.* 23. usque ad finem capitis, pro parabola. Quam difficile sit, lites hasce dirimere, docuit SALDENUS *l. c.* § *VII. p.* 699.; gloriatur tamen § *X.* de uno, quo mediante historiam a parabola distingui posse judicat, quod nempe in parabo-

lis nunquam scriptores evangelici neque aliae personae loquentes introducantur, sed solus semper Dominus noster IESUS; quod etiam a FLACIO diu ante ostensum fuerat.

Christus parabolis maxime usus est.

4) CHRISTUS parabolico dicendi genere maxime usus est testibus tot parabolis in Evangelistarum scriptis adhuc prostantibus. De causis, propter quas hoc docendi genus praecipue amaverit et adhibuerit, variorum variae proferri possent sententiae a GLASSIO, SALDENO *loc. cit.* allatae. Ego vero existimo, CHRISTUM propter parabolae *amoenitatem*, (jucunda enim firmius et tenacius inhaerent aeque animis, ac se insinuant,) *perspicuitatem* et claritatem, quae faciliorem plebis rudioris institutionem dare potest nec non *excitationem* auditorum ad lubentius et diutius audiendum doctorem, usum esse parabolis frequentioribus; cui addere poteris, in V. T. hoc docendi genus parabolicum de Messia, *Ps.* LXXVIII, 2. coll. *Matth.* XIII, 34. 35., fuisse praedictum. In alia omnia abit WITSIUS in *Oecon. Lib. IV. Cap. XIII. p.* 619. CHRISTUMque per parabolas doctrinam suam obscuriori oeconomiae accommodasse putat, et ut indignis ex justo judicio eam celaret.

Observ. I. Unde factum sit, ut parabolae a CHRISTO prolatae etiam in Talmudistarum scriptis legantur, e. gr. de divite epulone, de operariis in vinea etc., et num CHRISTUS has a Judaeis, an vero Judaei a CHRISTO acceperint, sub judice lis est. Vid. SAUBERTUS in *Palaestra p.* 277. VORSTIUS in *Philol. sacr. Cap. IV. p.* 141. WOLFIUS in *Biblioth. ebr. Part. II. p.* 978. LIGHTFOOTUS *Hor. Talmud. ad Matth.* XIII, 3.

Observ. II. Parabolarum usus in V. Test. fuit rarior, id quod contra WITSII opinionem mox citatam observari meretur. Quod si enim CHRISTUS parabolas ideo adhibere debuit, quia ad obscuriorem oeconomiam V. T. pertinent, qui factum est, ut prophetae V. T. rarius parabolis uterentur? 2. *Sam.* XII, 1. 2. *sqq.*

§ VI.

Divisio parabolarum.

Dividi solent parabolae 1) in *perfectas* et *imperfectas*, 2) in *doctrinales* et *propheticas*.

1) *Perfectae* dicuntur parabolae, si πρότασιν et ἀπόδοσιν simul exhibent, *Matth.* XIII, 47. XVIII, 23. *seqq. Luc.* XVIII, 1. *seqq. Imperfectae*, quae solam πρότασιν suppeditant omissa ἀποδόσει seu explicatione parabolae, *Matth.* XIII, 31. 32. *ibid. v.* 44. 45. 46.

2) *Doctrinales* sunt parabolae, quae doctrinam vel fidei vel morum tradere debent, ut sunt pleraeque parabolae hactenus allegatae. *Propheticae* sunt, quibus fata futura vel populi Judaici vel ecclesiae N. T. praedicta fuere. *Matth.* XXII, 1—7. parabola tradit tristissima ecclesiae Judaicae corruptae fata, Hierosolymorum et totius populi Israëlitici interitum; *v.* 8—10. insequentem conversionem paganorum ad veram ecclesiam et salutarem evangelii doctrinam, *v.* 11—13. lapsum casumque Antichristi et priorem, quo ligatus fuit, et posteriorem, quo totus ruet, cadet, foras ejicietur. Similiter propheticas parabolas deprehendimus *Matth.* XIII, 24. *seqq.* de zizaniis inter bonum semen procrescentibus, id est, de haereticis media in ecclesia vera exorituris.

§ VII.

Regulae de parabolarum explicatione.

Regulae, quae in parabolarum interpretatione observandae, sunt sequentes:

REGULA I.

In omni parabola maxime considerandus est scopus, *quippe qui clavis totius parabolae recte aestimatur.*

1) ISIDORUS *Lib. III. Epist. CVII.* his verbis regulam inculcavit: Ἑκάστην παραβολὴν πρὸς τὸ προκείμενον μάλιστα ἀναζωγραφητέον. Vid. GLASSIUS *loc. cit. p. m.* 488. SALDENUS in *Otiis Theol. Lib. IV. Exerc. IV.* § *V. p.* 697. Nec opus est, ut hanc regulam pluribus confirmemus, cum nihil evidentius sit, quam ex scopo de intentione atque sensu loquentis securissime judicari posse et certissime.

2) Investigatio scopi non modo ipsum sensum parabolae docebit, sed et, quaenam ad ornamenta parabolae sint referenda, monstrabit.

3) Multum juvabit interpretem in investigando scopo parabolae occupatum, si 1) ad occasionem, qua data fuit parabola, 2) ad verba antecedentia et consequentia attenderit et 3) comparationem signi et signati per periodum comparativam, voculas consuetas *quemadmodum sic etiam* adhibendo, examinaverit. Exemplo sit parabola de operariis in vinea *Matth.* XX, 1. *seqq.* a tot interpretibus falso et haud raro inepte exposita, etsi intellectu sit facilis. *Occasionem* dedit Petri quaestio, *Matth.* XIX, 27., de praemio ab Apostolis ideo nunc expectando, quia omnia reliquerant propter Christum; huic respondet Servator *v.* 28. ita, ut praemium Apostolis quidem promittat, simnl vero *v.* 30. gravissime moneat, nihil in hoc praemio dandum esse meritis, sed omnia gratiae esse tribuenda. Atque hoc suum monitum gravissimum non modo *v.* 30. *Cap. XIX.* profert, sed et sub finem parabolae repetit et inculcat *v.* 16. ipsamque parabolam cum antecedenti monito, *v.* 30., copulat per conjunctionem causalem γάρ, *Cap. XX*, 1. Quid itaque clarius esse potest, quam scopum parabolae hunc esse, Deum labores Apostolorum et caeterorum doctorum ecclesiae remunerari quidem, sed ex gratia, non ex debito, nec ad laborum mensuram, sed ad gratiae suae ubertatem. Unde tandem prodibit sequens comparatio: „Quemadmodum paterfamilias operarios in vinea unam modo horam laborantes, praemii laboris sui destinationem gratiae et liberae voluntati patrisfamilias unice committentes, abundanter remuneratur, μισθοφίλους vero istos suam liberalitatem taxantes graviter reprehendit: sic etiam doctores ecclesiae, qui, etsi cum Apostolis qua aerumnas miseriasque non sint comparandi, nihil tamen suis meritis adscribunt, omnia soli gratiae Dei remuneratrici relinquunt et tribuunt, mercedem gratiae abundantem accipient, PETRUS vero aliique μισθόφιλοι hanc Dei voluntatem liberam taxantes gravem apud DEUM censuram incurrent.“

REGULA II.

Post scopi investigationem de corpore *et* anima *vel de* cortice *et* medulla *aut, si mavis, de* signo *et* signato *ac de utriusque convenientia et differentia dispiciat interpres.*

1) Cum de *anima* et *corpore* parabolae loquor, LOESCHERI dictionem *Breviar. exeget. Part. III. Sect. II. Cap. III. § II. p.* 170. sequor; sed cum *corticem* et *medullam* nomino, vestigiis GLASSII aliorumque plurimorum insisto. Caeterum per corpus et corticem intelligo externam illam, si ita loqui fas est, rei fictae ut gestae narrationem, h. e., historiam in sensu literali consideratam, quae est *signum* alterius rei. Per animam et medullam indicatur sensus historiae mysticus, qui est *signatum* seu ipsa res per fictionem illam significata.

2) Signatum prius explicari non posse, nisi antea de signo constiterit, aeque verum est ac hoc, quod medulla nemo uti queat, donec cortex fuerit remotus. Hinc sensus literalis parabolae cujusvis primum est eruendus, posthac ad mysticum progredi licebit. Nisi enim tibi patuerit, quid sit *χάσμα μέγα* illud sensu literali acceptum, *Luc.* XVI, 26., qui poteris docere, quid per hoc signum a Sospitatore indicetur? Confer, quae dicta sunt *Lib. I. Cap. II. § V. Reg. IV. p.* 28.

REGULA III.

Cum in parabolis subinde occurrant voces et circumstantiae, quae tantum nexus et ornatus causa additae sunt et ornamenta *parabolae vulgo dicuntur, in illarum explicatione ut se torqueat interpres, opus non est.*

1) *Ornamenta parabolae* nominantur voces et circumstantiae accidentales, quae et adesse et abesse possunt salvo parabolae sensu et salva veritate per parabolam tradenda. Sic e. gr. *Luc.* XV, 22. 23. novorum calceorum, vestimenti, annuli, vituli mactati, coenae, fidicinum mentio injicitur, quorum singulorum in explicatione mystica plerique interpretes egregie ineptiunt, cum satis habere potuerint, si ex scopo totius parabolae intellexissent, per haec nihil indicari aliud quam plenariam post impetratam peccatorum veniam divinae gratiae collationem. „Quemadmodum „pater filium ad fruges redeuntem omni bonorum ge„nere donat, sic etiam pater coelestis peccatores ad „fruges redeuntes omni bonorum genere cumulat, do„nat, exhilarat.“ Finge calceorum, vestium, annuli,

vituli mentionem factam fuisse nullam; finge, Christum modo receptionis in gratiam meminisse verbis generalioribus: profecto et signum et signatum illis etiam absentibus intelligi plene potuisset; sed ut ubertas gratiae divinae clarius patefieret, ornamenta illa addere placuit Christo.

2) In horum ornamentorum explicatione mystica frustraneum laborem poni, praestantissimi doctores ecclesiae et antiquioris et recentioris monuerunt jam dudum, teste PETAVIO in *Dogm. Theolog. Tom. I. Lib. VII. Cap. XI. § IV. pag.* 305. GLASSIO in *Phil. Sacr. Lib. II. Part. I. Tract. II. Sect. V. Can. V. p. m.* 489. 490. *Vitiosum est*, inquit Illustr. MOSHEMIUS, *omnes similitudinis alicujus partes anxie persequi et in cunctis, quae narrantur, etiam minutissimis, reconditos et abstrusos scrutari sensus. Cogitat. in N. Test. loc. select. Cap. I. § II. p.* 4. Sed REINHARDUS in *Instit. Theol. Parabol. p.* 5. in alia omnia abit. *Fieri non potuit*, inquit, *ut Christus, coelestis magister, summaeque sapientiae doctor, aliquid otiose protulerit.* An istud, quod connexionis et ornatus ergo dicitur, otiose dictum est censendum? Profecto, quod historiae melius connectendae et aptius narrandae causa profertur, otiosi nihil continet. Subscribo itaque denuo sententiae Illustr. MOSHEMII: *Qui secus instituunt omnesque parabolae alicujus non partes sed particulas tamdiu premunt, donec sensum qualemcunque exprimant, illi, non mirum est, si in coactas interpretationes incidant illisque fiant similes, qui, dum veterum aedificia et marmora volunt illustrare, quodlibet ornamentum ab architecto profectum mysterium esse, saepenumero sibi persuadent. Loc. cit. p.* 4.

3) Ex his lucem accipit regula, *theologia parabolica non est argumentativa*, quam non nisi de ornamentis parabolae accipi posse, ego quidem judico, quicquid etiam plerique contendere soleant. Nam sensus parabolae, quem scopus ejusdem aperte prodit, est id, quod Spiritus S. intendit revelare. Conf. *Lib. I. Cap. I. § II. p.* 13. Tune vero id dixeris non argumentativum, quod S. Spiritus revelavit? Tune affirmabis, vim probandi nullam inesse enuntiatis divinis parabolice traditis? Valet e contrario regula de parabolae ornamentis, quae sunt circumstantiae, per quas S. Spiritus nihil intendit revelare, et *quae*, ut cum AUGUSTINO

loquar, *nihil significant, ad hoc tamen interponuntur, ut sit, unde illa significantia tanquam sonantia connectantur. Lib. contra Faust. Cap. IC.* Inde regulam illam de theologia parabolica non-argumentativa limitandam esse censeo et ad sola ornamenta parabolae restringendam.

REGULA IV.

Nomina propria non semper dant indicium historiae, sed in parabolis etiam obviare solent.

Opponitur haec regula iis, qui cum CHRYSOSTOMO, *Homil. in Luc.* XVI., AMBROSIO in *eund. loc.*, TERTULLIANO *Lib. VII. de anima* existimant, a parabolis historias hoc maxime signo discerni posse, quod nomina propria nunquam in parabolis occurrant sed in historiis. Inde concludunt, *Luc.* XVI. historiam de divite epulone narrari, non parabolam, ideo, quod nomen Lazari in narratione obviat; porro, *Luc.* X, 30. historiam condi, non parabolam, quia Hierosolymorum et Hierichuntis nomina ibidem leguntur. Sed qui poteris ea, quae de colloquio divitis epulonis cum Abrahamo, de Lazari digiti extremo in aquam mergendo, (cum totum corpus Lazari sepultum adhuc jaceat,) de visione hominis in inferno excruciandi in coeleste illud *ποὺ*, in sinum Abrahami etc., historiam seu facta vere talia et vere gesta credere?

REGULA V.

Cave, ne omnes parabolas credas esse propheticas.

Dantur parabolae propheticae, ut in antecedenti § *VI. p.* 39. ostendimus, et in quibus futura fata ecclesiae fuere praedicta. Sed qui nostra potissimum aetate studio vaticinandi correpti sunt atque praeventi, uti singulis in locis S. Scripturae nil nisi prophetias somniant ipsasque septem precationes orationis Dominicae et decalogi praecepta decem in vaticinia ridiculo ausu commutant, sic etiam parabolis omnibus prophetias inesse putant. SALDENUS his prophetastris recte tribuit Daedaleum ausum dominantem allegorizandi et

vaticinandi pruritum, qui magis fere neglectu et silentio quam operoso strepitu, ipso tandem eventu satis et convellendus et confundendus. *Ot. Theolog. Lib. IV. Exercit. V.* § *VI. p.* 699. Huc pertinent interpretationes parabolae de divite epulone (*Luc.* XVI) obviae, quas dederunt triumviri isti famosissimi, IO. LOMEIERUS, HENR. TEELMANNUS, HERM. DEUSINGIUS, homines in hac parabolae expositione, febricitantium instar, phantasiae nimis dediti, qui, dum omnia in prophetias mutare voluerunt, divinae auctoritati Scripturae S. adeo derogant, ut miremur, frena his phreneticis non fuisse injecta. Nunquam profecto crederes, eo usque homines, qui ecclesiae doctores esse voluere, prolabi potuisse, ut vigilantes non modo somniarent, sed et furerent. Vid. CHR. MATTH. PFAFFII *Dissert. de recta theologiae typicae conformatione, Cap. II.* § *III. pag.* 24. 25.

§ VIII.

Typus, quid sit?

Typus est, ubi res V. Test. ex intentione S. Spiritus esse debuit imago futurae rei Novi Testamenti.

Definitio etymologica.

1) Typus est vox graeca a τύπτω derivata sensuque suo etymologico indicat *cusum quid*, *incusum quid*, quod nempe alterius figuram et vestigium exhibet, quemadmodum numo imprimitur imago vel effigies; unde et *figuram*, *imaginem*, *signum* denotare solet.

Homonymia.

At enimvero cum hic primarius isque etymologicus significatus sit generalis, qui posthac ad varias et diversas species applicari potest, factum inde est, ut τύπου vocabulum in N. Test. varias significationes consequeretur. Habet enim notionem *vestigii* et *notae*, *Io.* XX, 25., *operis futuri adumbrationis*, *Act.* VII, 44. *Ebr.* VIII, 5., *exempli*, *Phil.* III, 17. 1. *Petr. V*, 3. 1. *Tim.* IV, 12. An etiam hoc in sensu, quo impraesentiarum a nobis accipitur, in sacris literis obviet, a

nonnullis cum GLASSIO dubitatur; ego vero ex Rom. v, 14. eum omnino ostendi posse existimo. Sunt enim verba Apostoli clarissima: Ἀδὰμ, ὅς ἐστι ΤΥΠΟΣ τοῦ ΜΕΛΛΟΝΤΟΣ. Conf. loca THEOPHYLACTI, THEODORETI, CHRYSOSTOMI ex SUICERO in *Thesaur. eccles. Tom. II. p. 1338.*

Synonymia.

Caeterum aliae etiam voces in S. literis leguntur, quae typos V. Test. exprimunt. Ne quid dicam de ebraea voce מְשָׁלִים, quae typos aeque ac parabolas et proverbia significat; in graeco textu N. Test. obviat vox *σκιά Col.* II, 17. *Ebr.* VIII, 5. X, 1., *ὑπόδειγμα Ebr.* VIII, 5., *στοιχεῖον Gal.* IV, 3. 9., *παραβολή Ebr.* IX, 9., *γράμμα* 2. *Cor.* III, 6. 7.

Ἀντίτυπος, **vox opposita typis.**

Vox, quae typo opponitur idque, ad quod typus refertur, signat, est *ἀντίτυπος*, bis in N. Test. obvia, *Ebr.* IX, 24. 1. *Petr.* III, 21., qui antitypus etiam *σῶμα Col.* II, 17., *μέλλοντα ἀγαθά Ebr.* X, 1., *τὰ ἀληθινά Ebr.* IX, 24., *πνεῦμα* 2. *Cor.* III, 6. 7., *αὐτὴ εἰκὼν τῶν πραγμάτων Ebr.* X, 1. vocatur.

2) In definitione utor voce rei sensu generaliore accepta, qua et personas et actiones, nec non leges et instituta Vet. Test. alia involvit. Si quis malit vocem imaginis, figurae, signi, emblematis, figurae symbolicae etc. adhibere, per me licebit; mihi autem rei notio ob claritatem et usum maxime placuit, etsi non ignorem, alios saepe inter typos rerum et personarum distinxisse, sed minus accurate.

§ IX.

Existentia typorum V. Test.

Existere tales res V. Test., quae ex intentione S. Spiritus res N. Test. adumbrare et praefigurare debuerunt, hoc est, typos V. Test., hosque ab interprete studiose conquirendos et exponendos esse, firmissimis argumentis doceri potest.

Argumenta, quibus existentia typorum V. Test. confirmatur, sunt sequentia:

1) *In genere*, Deus testatus est clarissime in suo verbo, totam oeconomiam V. Test. fuisse *σκιὰν τῶν μελλόντων, τὸ δὲ σῶμα τοῦ Χριστοῦ*, *Col.* II, 16. 17., legemque *σκιὰν τῶν μελλόντων ἀγαθῶν*, *Ebr.* X, 1., datamque quidem per Mosen, sed *ἀλήθειαν διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ* nobis obtigisse, *Io.* I, 17. Accedunt indicia typorum in quibusdam oraculis V. Test. ipsis obvia; e. gr. *Ps.* CX, 4. LI, 8. 9. 10. XL, 6. *seq.* *Lev.* X, 17. Vid. IO. DAV. MICHAELIS „*Typische Gottesgelahrheit*" *Cap. I.* § *IV.* *p.* 16. Ex his locis patet ad oculum, res Vet. Test. debuisse praefigurare res N. Test. et quidem ex ipsa Dei intentione, non pro hominum lubitu et arbitrio.

2) *In specie*, Deus de multis rebus V. Test. testatus est, esse easdem signa et imagines rerum N. T. tunc temporis futurarum. Supersedeo hic allegatione locorum S. Scripturae has res V. T. speciatim indicantium, quia § *X.*, ubi de *innatis typis* disseram ex instituto, multa loca huc pertinentia citabo, ne praeter necessitatem repetitio nimia taedium lectori creet.

3) *Specialissime*, de cultu Levitico, de tabernaculo ejusque partibus, de sacerdote summo, de Melchisedecho testatus est Apostolus PAULUS in aurea sua *ad Ebraeos epistola* inque hac fere tota; maxime *Cap. VII. VIII. IX. X.* typicam significationem oeconomiae V. Test. clarissime exposuit, ita ut mirari fas sit, qui fieri potuerit, ut inter Christianos hujus epistolae *θεοπνευστίαν* profitentes essent, qui de typorum V. Test. existentia dubitarent.

4) Addere solent nonnulli, quod, nisi cultui Levitico legibusque Mosaicis typica inesse credatur significatio, concedendum esset, inania multa et fere puerilia, saltem inutilia nullumque usum in cultu Dei praestantia a Deo per Mosen populo Judaico imperata olim fuisse. Ego vero haec absque grano salis accipienda non esse et cavendum, ne per talia asserta contemtoribus religionis verae frigida affundatur, existimo. Rectius et modestius SALDENUS hoc modo concludit: *Manet itaque, ceremonias omnes et singulas typi rationem habuisse; neque enim legis ceremonialis praecipuus finis fuit, ut populus Israeliticus ea velut onere ἀβαστάτῳ tantum gravaretur, sed ut Deus in rebus illis externis*

ac in sensus incurrentibus spiritualia et permanentia bona N. T. velut in speculo conspicienda ei exhiberet. Vid. *Otia Th. p.* 263.

§ X.

Divisio typorum V. T. spuria.

Etsi typi vulgo soleant dividi in *innatos* et *illatos*, rectius tamen soli innati ab exegeta investigantur et in *personarum*, *legum* et *institutorum factorumque historicorum* dispescuntur.

1) Vulgata quidem et ubique fere recepta est divisio typorum V. Test. in *innatos* et *illatos*, sed ex definitionibus, quae dari solent, satis constabit, per hanc divisionem divina cum humanis confundi, allegorias cum typis. *Innati* typi enim sunt, qui ex intentione S. Spiritus hujusque indicio constant atque innotescunt; ut sunt, quos § *VIII.* descripsi. Et hi soli merentur nomen typorum V. Test., hoc est, imaginum divinitus datarum. *Illati* dicuntur, qui a S. Spiritu non fuerunt indicati, sed qui ab ingenio humano ob similitudinem pendent et a conjecturis humanis. v. GLASSIUS *philol. sacr. Lib. II. P. I. Tract. II. Sect. IV. Art. V. p. m.* 460. Ipsa haec typorum illatorum descriptio docet aperte, hos ad sensum S. Scripturae referendos non esse, sed ad allegoricas applicationes ab arbitrio humano excogitatas et conjecturis nudis innixas. Falluntur itaque, qui typos illatos cum innatis conjungunt per vulgatam illam divisionem, cum illati a S. Spiritu intenti non sint; peccant enim in regulas de divisione, dum separanda conjungunt idque partem totius existimant, quod ad totum plane non pertinet.

2) Nostra aetate typorum illatorum amor ita invaluit, ut, typophiliam in *typomaniam* abiisse, jure conqueramur, hancque inde a COCCEII temporibus et hypothesibus multos Reformati coetus doctores occupasse, merito doleamus. Fit inde, ut non solum imperitiores in tanto typorum cumulo nesciant, veros a falsis et fictis discernere, sed etiam, ut hostes Scripturae S. ansam cavillandi, certitudinem exegeseos sacrae impugnandi auctoritatemque divinam codicis sanctissimi negandi

cupide arripiant; ne quid de SPENCERO et MARSHAMO dicam, qui, dum huic extremo occurrere volebant, in alterum prolabebantur. Restiterunt semper viri cordatiores prurigini typificandi, quorum testimonia studiose collegit SALDENUS in *otiis theol. Lib. II. Exercit. III.* § *VIII. p.* 248. *seq.*, qui ipse in coërcendo abusu typorum prolixus fuit mediaque typomaniam cohibendi suppeditavit non contemnenda. RAMBACHIUS in eleganti dissertatione *de criteriis sensus mystici* eidem vitio mederi voluit, cui, si vacaret, alios addere possemus. Vid. DEYLINGII *Observat. sacr. Part. V. Observ. XXXI. p.* 358. *seq.*

3) *Illatos typos* dividunt porro in *oblatos* et *contortos*. Oblatos vocant, si inter typum et antitypum illatum insignis est similitudo. Contortos, si inter typum innatum et illatum vel omnino nulla similitudo est, vel parum commoda et nimis rara, ita ut major sit utriusque, quod comparatur, discrepantia quam convenientia. Contorti typi nil nisi risum et contemtum gignunt suntque ab omnibus, qui vera in verbum Dei reverentia reguntur, sedulo fugiendi. Quam absonum est, si GRETSERUS Lojolita Absalonem in quercu pendentem et pereuntem credidit fuisse typum Christi in cruce pendentis et mortui, *Lib. I. de cruce Cap. VI. p.* 14. Nulla enim typi et antitypi convenientia adest, nisi una haec, quod uterque *pependerit*, uterque *mortuus sit*; discrepantia vero inter Absalonem et Christum tanta est, ut major vix cogitari possit. Pontificii duos istos Petri gladios *Luc.* XXII, 38. typos duplicis potestatis successorum Petri putatitiorum credunt, immemores istius prohibiti, quod proxime sequitur Petrumque cum suis successoribus ab usu utriusque gladii, igitur et utriusque potestatis, gravissime arcet, cum Petrus gladio seu politica potestate uti vellet: *Converte gladium tuum in locum suum. Matth.* XXVI, 52.

Divisio typorum genuina.

4) *Innati typi*, qui soli hoc nomen biblicum merentur, variis modis dividi et possunt et solent; ego vero putarem, salvis aliorum sententiis satis commodam et aptam esse divisionem in typos 1) personarum, 2) legum et institutorum atque 3) factorum historicorum. Ad typos *personales*, si ita loqui fas est, pertinuit per-

sona summi sacerdotis, maxime Aaronis, Melchisedechi, primogenitorum etc. Ad *legales* vel, si mavis, *caerimoniales* referendus est totus cultus Dei Leviticus, cum omnibus iis, quae ejusdem partes constituerunt, ut erant sacrificia, tabernaculum cum suo apparatu, templum, sacerdotium, sacramenta, festa, anni jubilaei, sabbata, neomenia, impuritas juxta legem Mosaicam contracta, caerimoniae aliae. Ad *historicos* denique pertineret eductio populi Israëlitici ex Aegypto, reditus ejusdem populi ex captivitate Babylonica, fletus Rahelis etc.

§ XI.

Regulae de typis.

In inventione atque expositione typorum V. Test. sequentes regulae sunt diligenter observandae:

REGULA I.

De defectu et excessu in typorum inventione.

In typorum V. Test. investigatione studiose observanda sunt indicia *et* criteria, *quibus innatus ab illato et intentio S. Spiritus ab humana accommodatione secerni potest atque debet, ut omni abusui obviam eatur.*

1) Sunt qui circa typorum investigationem peccant in defectu cum Socinianis, Arminianis, aliis. Etsi enim *Sociniani* concedant, sacrificia V. Test. publica pro toto populo mactata, maxime anniversarium sacrificium, cujus sanguis in sanctum sanctorum inferebatur a summo sacerdote, figuram mortis Christi repraesentasse, de caeteris tamen sacrificiis caerimoniisque Mosaicis idem asserere nolunt. Proxime ab his absunt *Remonstrantes*, qui typorum V. Test. numerum nimis coarctant, immo vero etiam cum IO. CLERICO, typos κατ' ἄνθρωπον tantum ab Apostolis allegatos fuisse nec proprie a Spiritu S. intentos, contendunt. Quam frigide MARSHAMUS, SPENCERUS, JONCOURTIUS de plurimis typis senserint, satis constat.

2) Sunt qui in excessu peccant circa typorum investigationem, quos etsi tolerabilius errasse RAMBACHIUS credat, errant tamen idque sensum S. Scripturae esse jactant, quod S. Spiritus minime omnium intendit. Rectius HERM. WITSIUS inculcavit in scrutandis his divinis arcanis, omnia *μετὰ φόβου καὶ τρόμου* peragenda esse, ut ne humana pro divinis habeantur. Evitari facillime poterit omnis, quam supra § *X. n.* 2. taxavimus, typomania, diligentius si ab exegetis observabitur, male ex sola analogia rerum Vet. Test. cum rebus Nov. Test. typos probari. Etsi enim verissimum sit, in omni typo analogiam et similitudinem rerum V. Test. et N. Test. adesse, inde tamen nondum sequitur, ut, ubicunque analogia et similitudo adest, typus etiam adsit; alias omne, quod in natura rerum extat, typi naturam habere deberet. Vid. SALDENUS in *Otiis Theol. Lib. II. Exercit. III. De Typorum V. Test. usu et abusu,* § *XI. p.* 276.

REGULA II.

De criterio typorum innatorum.

Criterium infallibile typorum innatorum est manifestum S. Scripturae testimonium *et explicite et implicite tale.*

1) Equidem non ignoro, ab aliis criteria plura typorum suppeditari, immo vero etiam cumulari. Sed cum videam, illatos cum innatis typis subinde ab his confundi et maximam criteriorum ab aliis allegatorum partem plus ad illatos quam innatos deducere typos nec non quandam typomaniam fovere, satius erit uno hoc eoque infallibili et certissimo criterio uti in inventione typorum, ut simul certissimus esse queat interpres, se nihil aliud quam quod S. Spiritus docere intendit, h. e., *sensum Scripturae* proferre et cum auditoribus communicare. Accedit, quod reliqua criteria omnia ab aliis copiose data virtualiter hoc uno S. Scripturae testimonio recte intellecto contineantur, prouti sequentia declarabunt.

2) *Testimonium S. Scripturae* explicitum de typo est, quod expresse et conceptis verbis testatur typum adesse, e. gr. *Melchisedechum* typum fuisse, claris-

sima et evidentissima testantur loca *Psalm.* cx, 4. *Ebr.* vii. *tot. Cap.* v, 6. vi, 20. *Ionae* liberationem ex ventre piscis typum resurrectionis Christi fuisse, ipse Christus testatur *Matth.* xii, 40. *Aaronem* summum sacerdotem typum fuisse Christi aeterni nostri sacerdotis, docet PAULUS in *epistola ad Ebraeos* passim, apertissime *Cap.* iv, 14. v, 1. coll. 5. *seqq. Cap.* vii, 26. viii. ix. x. *Sacrificia* typicam habuisse significationem, testatur Scriptura *Ebr.* ix, 11. 12. *seq.* inprimis *v.* 28. *Rom.* iii, 25. 2. *Cor.* v, 21. 1. *Io.* ii, 1. 2. *Esa.* liii, 4. 6. 10. 12. Add. FRANZII *Schol. Sacrif. Disp. VI. et XIII.* IO. DAV. MICHAELIS *Typische Gottesgelahrtheit,* § *XXII. p.* 56. *seqq. Leviticas leges* de neomeniis, de discrimine ciborum, de diebus festis typicam relationem habuisse, constat ex manifesto testimonio PAULI *Col.* ii, 16. 17. Totum *cultum Leviticum* fuisse typicum, tota *epistola ad Ebraeos* ad oculum demonstrat. De *agni paschalis* respectu typico testantur loca clarissima *Io.* i, 29. 1. *Petr.* i, 18. 19. 1. *Cor.* v, 7. De *propitiatorio* videsis evidentissimum testimonium *Rom.* iii, 25. *Ebr.* iv, 16. Nec dubito, *Noachi servationem* in diluvio dicere typum baptismi seu conservationis animarum per baptismum, praeeunte Petro 1. *Petr.* iii, 20. 21. De serpente Mosis aeneo vid. *Io.* iii, 14., de azymis 1. *Cor.* v, 7. Nec deerunt alia sacrarum literarum testimonia apertissima de typis innatis diligenter ab interprete colligenda.

3) *Implicite tale testimonium de typo* ego nunc voco illud, ubi

a) genus vel totum in S. Scriptura dicitur respectum typicum habere; inde enim ad species et partes legitime concluditur. E. gr. Spiritus S. multis in locis clarissime indicavit, totam oeconomiam V. Test. typicam esse; igitur testimonium divinum adest, tabernaculum Leviticum et, quod in hujus locum successit, templum Hierosolymitanum, sacerdotium Aaroniticum etc. ad typos referri debere et quidem ex intentione S. Spiritus. Porro totum tabernaculum Leviticum a PAULO *Ebr.* viii, 5. ix, 23. 24. typis annumeratur, nonne etiam arca foederis, lychnus, ara suffitus, panis propositionis, altare holocausti sacrificia? Legitimam hanc esse conclusionem a genere ad speciem et a toto ad partes, non modo sana ratio docet atque rei natura, sed

etiam loca illa omnia, quae in specie probant, has a me nominatas partes tabernaculi fuisse typicas, prouti ex proxime ad *n.* 2. allatis constat.

Deinde, ubi *β*) satis perspicua in N. Test. fit allusio vel in phrasi quadam vel in nomine ad rem quandam singularem V. Test. E. gr. quae de *Eliakimo Esa.* XXII, 22. leguntur, quoad phrasin ad Christum referuntur *Apoc.* III, 7. Quae in prophetis V. Test. toties de *Babylone* praedicta fuere, in Apocalypsi passim repetuntur et temporibus fatisque N. T. applicantur. Ecclesia N. T. saepe nomine *Zionis* insignitur; inde legitime concluditur, Zionem montem typum fuisse ecclesiae Christianae. Quemadmodum etiam sacerdotes N. T. in *filiis Levi* praefiguratos fuisse, ex *Malach.* III, 3. satis clare intelligitur, quia doctores ecclesiae N. Test. ibidem appellantur filii Levi. Sic etiam *Ioannes baptista* vocatur in typo *Elias Malach.* IV, 5. coll. *Matth.* XI, 14.

REGULA III.

De explicatione typorum.

Explicatio cujuslibet typi ita est instituenda, ut 1) *typus secundum sensum literalem exponatur, deinde* 2) *ejusdem mystica significatio afferatur.*

1) Omnis typus continet similitudinem; hinc aliter explicari nequit nisi hoc, quem diximus, modo. Prouti enim in omni metaphora ab interprete exponitur 1) id, unde metaphora sumitur, 2) postea res, quacum fit comparatio, 3) denique tertium comparationis: sic etiam in explicando typo idem ordo semper est servandus.

2) Ut typi explicatio literalis felicius succedat, consulendi sunt auctores, qui antiquitates Judaicas descripserunt, LUNDIUS, BRAUNIUS, WITSIUS, MOMMA, RELANDUS, GOODWINUS, TAYLORIUS, IKENIUS, CARPZOVIUS, RAMBACHIUS, BAUMANNUS, BIERMANNUS etc. Nisi enim antiquitates Judaicas rite perspectas habeat interpres, fieri non poterit, ut typicam V. Test. significationem intelligat.

REGULA IV.

Nullus typus est ultra limites a S. Spiritu intentos extendendus, quia dantur typi partiales, ubi in typo vel plus vel minus est quam in antitypo.

1) Vulgata et omnium consensu comprobata est regula hermeneutica generalis: *Nullum simile est ultra tertium comparationis extendendum,* quia fieri nequit, ut duae res inter se collatae sibi invicem adeo in omnibus sint similes, ut nullum discretionis punctum ostendi queat. Conf. Clar. BAUMEISTERI *Institut. Metaphys.* § 169. *p.* 127. Eadem regula, cum sit generalis et per communem sensum recepta, valere quoque debet in explicatione typorum. Negligitur vero a multis typomaniae febri laborantibus, quippe qui sibi singulari felicitati ducunt, quod typorum comparationes cumulare et ad minimas usque circumstantias extendere valeant, ut videre est in plerisque scholae Coccejanae alumnis, nec non in TAYLORII *Christo figurato,* de quo SALDENUS in *Otiis theol. p.* 269. verum tulit judicium, et simul *conatus Phaetontaeos* illorum, qui ad minimos usque apices mysteria typorum rimari audent, cohibere studuit.

2) *Typos partiales* dicimus, qui non nisi in una alteraque praecipua parte typi significationem habent, in caeteris autem discrepant. E. gr. *Ionas* in liberatione e ventre piscis typus fuit resuscitationis Christi a mortuis, sed dixerisne, eum quoque fuisse typum, cum a facie Domini fugeret, *Ion.* I, 3., vel cum securus in nave dormiret, *c.* I, 5., vel cum Deum injustitiae accusare vellet etc. *Aaron* sine dubio typus erat Christi qua sacerdotium summum, quo defungebatur; sed cum aureum vitulum fingeret populumque seduceret, *Exod.* XXXII, 1. *seq.*, cum diem suum ultimum placide obiret munusque suum per mortem finiret, profecto Christi typus nequaquam erat. Conf. *Ebr.* VII, 23. 24. *Vacca rufa* typicum habuit significatum in sacrificium Christi, excluso tamen sexu, quod idem in aliis nonnullis sacrificiis observandum est. MOMMA in *Oeconomia Patriarch. Tom. I. p.* 125. cumulavit similitudines inter *manna* et Christum panem coelitus datum

ad *Io.* VI, 35. 48—51 harumque numeravit duodecim, addit vero etiam duodecim disparata, quibus Christus ab illo manna distat. Plura exempla addere nolo.

3) Exinde constabit, quid sibi velint regulae a GLASSIO datae: *Plus saepe est in typo quam in antitypo. Plus saepe est in antitypo quam in typo. Una res typus est et figura quandoque duorum etiam contrariorum, sed alio et alio respectu.* Vid. *Philol. Sacr. Lib. II. Part. I. Tract. II. Sect. IV. Can. II. III. VIII. p. m.* 466. 471. Singulae enim hae nituntur praecepto hermeneutico generali de similibus ultra comparationis tertium non extendendis.

Observ. I. Male nonnulli a parte ad totum, a specie ad genus in typorum demonstratione concludunt; quia, prouti regula nostra monuit, dantur multi typi partiales, qui non ex toto, sed tantum ex parte rem futuram N. Test. signant.

Observ. II. Qui ex sola Enallage nominis, qua nomine *Davidis* in V. Test. signatur Messias, *Ier.* XXX, 9. *Esa.* LV, 3. *Ezech.* XXXIV, 23. 24. *Hos.* III, 5. etc. concludere volunt, Davidem typum Christi gessisse, videant, ne fallaciam causae committant. Paucissima enim sunt, in quibus fata et facta Davidis cum fatis et factis Christi comparari poterunt; e contrario sunt perquam plurima, in quibus summa dissimilitudo inter Davidem et Christum obviat, ita ut pronior sit conjectura, Davidem Christi fata et facta non adumbrasse, quemadmodum Deus etiam noluit, templum suum Hierosolymis a Davide aedificari, sed a Salomone. 2. *Sam.* VII, 5. 6. *seqq.* Enallage ista in *Davidis* nomine existens aperte respicit gentem et familiam, ex qua Messias ortum suum sumere debuit; haec appellandi ratio cum sit manifesta, vereor, ne omne illud de typica relatione tandem abeat in inventum humanum vel, si mavis, in typum illatum, non innatum.

REGULA V.

In typis V. Test. non Christus solus, sed et beneficia per ipsum parta et collata, immo vero etiam tota oeconomia N. Test. quaeri debet.

Christus quidem est primarius scopus totius S. Scripturae omniaque, quae in ejusdem et verbis et rebus occurrunt, tandem ad eum collimant. Sed quem-

admodum loca non omnia de Christo, multa etiam propter Christum in sacris literis scripta sunt, sic etiam in typis omnia quidem remote tendunt et finaliter ad Christum, non proxime, multa vero ad beneficia et membra Christi, hoc est, ad ecclesiam N. Test. E. gr. *summus sacerdos* typum gessit ipsius Christi, reliqui sacerdotes autem omnium etiam christianorum spirituali sacerdotio defungentium. 1. *Pet.* II, 9. Porro in V. Test. sacrificium Deo nullibi nisi in tabernaculo et templo offerri debebat, quod praefigurabat remissionem peccatorum nullibi, nisi in ecclesia, quae Christum vera fide accipit, distribui posse. *Carbones*, quibus suffitus in sancto erat accendendus, non nisi ex igne illo aeterno in ara holocausti poterant sumi; id quod preces Christianorum a S. Spiritus gratia per Christi aeternum sacrificium parta unice derivandas satis clare indicat. Plura nunc non addam exempla, cum doctissimus HERM. WITSIUS eorum magnum numerum dederit in elegantissima et solidissima diatribe *De Tabernaculi Levitici Mysteriis*, inserta ejusdem *Miscellaneis Sacris Lib. II. Diss. I. et II.*

REGULA VI.

In typi significatione occurrit nonnunquam variatio.

1) Nimirum, una eademque res et persona V. Test. interdum praefiguravit ex Dei intentione duas vel plures res et personas N. Test. simul conjungendas in typi explicatione. RAMBACHIUS exemplum dedit *Isaaci*, qui ligna portans, paratus ad mortem sustinendam, mactandus ab ipso patre, patri in omnibus obediens referebat personam Christi lignum crucis gestantis, ad mortis supplicium voluntarie euntis, a Patre occidendi huicque Patri semper obsequentissimi. At cum aries posthac mactaretur et immolaretur, Isaacus ecclesiam morte arietis vicaria redemtam et liberatam repraesentabat. Vid. *Institut. Hermeneut. Sacr. Lib. IV. Cap. I.* § *VIII. p.* 741. *Tabernaculum* Mosis absque dubio significabat humanam Christi naturam, quam πᾶν πλήρωμα τῆς θεότητος inhabitavit, *Col.* II, 9., unde et Dei habitaculum dicitur inter homines *Apoc.* XXI, 3. Idem vero significare etiam ecclesiam, quae domus Dei, constat ex *Ebr.* VIII, 2.

2) *Velum tabernaculi*, quod die Christi emortuali disruptum fuit, denotavit carnem Christi, prout PAULUS docet *Ebr.* x, 20.; simul autem occlusum antea aditum ad Deum, nunc vero patentem post mortem Christi, eo indicatum fuisse, idem monet *Ebr.* IV, 16.

REGULA VII.

De impiis hominibus horumque peccatis typicis *caute sentiendum est.*

1) An homines impii esse potuerint typi V. Test., inter exegetas quaeritur et a nonnullis affirmatur, ita tamen ut non qua impietatem, sed qua hoc et illud bonum, quod malis mixtum erat, typum gesserint. Sic e. gr. suspensos V. Test. extitisse typos Christi, non qua malitiam et impietatem suam, sed qua mortis genus maledictissimum, existimant. *Deut.* XXI, 22. 23. *Gal.* III, 13. Alii longius progressi non veruntur, Davidis adulterium, congressum Judae cum Thamare incestuosum cum Patribus quibusdam dicere typos. Horum in numero fuit, quod miraberis, rigorosus ille typomaniae censor SALDENUS, *loc. cit. p.* 283. Ego vero negarem, impios homines sustinuisse olim typos rerum et personarum sanctissimarum N. Test. Utut enim GLASSIUS existimaverit, quod suspensi fuerint typi, negari non posse propter id, quod *Gal.* III, 13. scriptum extat, in hoc tamen loco PAULI nihil minus ego quidem quam testimonium de typo invenire adhuc possum. PAULUS enim probare vult, quod Christus in crucem actus fuerit factus maledictio; ideo provocat ad id, quod ex Dei praecepto *Deut.* XXI, 22. omnis suspensus sit maledictus, et quod ipse Deus in lege docuerit, suspensos esse debere abominationi. Hinc concludit h. m.: Omnis suspensus in ligno est *κατάρα*, Atqui Christus in ligno suspensus fuit, Ergo Christus est *κατάρα* factus. Inde nondum sequitur, ut omnes suspensi V. Test. fuerint etiam typi Christi, in primis, cum inter Christum et suspensos V. Test. extet differentia magna, siquidem Christus vivus in crucem actus et in cruce mortuus est, suspensi autem V. Test. mortui in lignum modo suspendebantur. Vid. HIER. van ALPHEN in *analysi epist. ad Gal. p.* 168. BUGENHAGENIUS in *epist. ad Gal. p. m.* 55.

2) *Peccata typica* vocant malas actiones impiorum V. Test., quibus aliae similes actiones malae impiorum N. Test. praefiguratae fuerint, de quibus ex instituto disseruit BUDDEUS in *dissert. de peccatis typicis*. Huc referunt factum *Achitophelis*, quo Judae proditoris scelus et scelestam mortem adumbrari putant, *hostium ecclesiae* V. T. persecutiones, quibus persecutiones ecclesiae N. Test. praefiguratas fuisse judicant, *Ismaelis* proterviam, *Lothi* incestum etc. Sunt autem in his non tam typi quam potius allegoriae et maximam quidem partem illatae, carentes indicio S. Spiritus in Scriptura. Nec praetermitti debet, inter Judae et Achitophelis scelus nullam plane similitudinem existere, id quod etiam de Lothi incestu, de Simsonis morte et aliis judicandum est.

REGULA VIII.

Cave, ne omnes historias V. Test. credas typos extitisse, seductus per hypothesin de septem periodis *ecclesiae Novi Testamenti.*

1) IO. COCCEJI hypothesis de septem periodis N. Test. in vulgus nota est et a multis in inquirendis typis V. Test. fundamenti loco jacta, unde tantus typorum, tantus vaticiniorum cumulus extare coepit, ut mireris, tantum non omnem exegetarum chorum, maxime Reformatorum, spiritu prophetico agi et non nisi fatidica oracula fundere. Non solum septem illae *epistolae apocalypticae*, nec soli *creationis dies septem*, sed et *septem verba Christi* in cruce prolata, immo vero etiam *septem petitiones* in Oratione Dominica putantur typica et prophetica; miror, quod *septem montes*, quibus mystica Babylo superstructa est, nondum in typorum catalogo videam. Certe tales lusus ingenii tandem omnem S. Scripturae certitudinem tollent et ad flexiloqua Dodonaea oracula referent; nec, quid calumniae isti de cereo Scripturae naso tunc opponi jure queat, haec si valere et pro divina haberi debet exegesis, ego quidem intelligo.

2) Instituti mei ratio non fert, ut prolixius in vanitatem hujus Coccejani figmenti inquiram; postulat enim prolixiorem, quam haec nostra opella capere potest, tractationem. Interim, cum *septenarii numeri sancti-*

tas et celebritas fundamentum totius fabulae sit, filum historiae ecclesiasticae N. Test. Coccejanis periodis ubique non respondeat, fatente ipso VITRINGA in *typo doctrin. prophet. p.* 155. 156., COCCEJUS etiam solam ecclesiam Graecam et Latinam in suis periodis respexerit, oblitus coetus reliqui Christiani in Asia et Africa interiore, Syrorum, Coptarum, Armeniorum, Persarum, aliorum a CROZIO melius descriptorum, Scriptura quoque non sit ideo data, ut fata ecclesiae tantum referat, sed et credenda, agenda, speranda tradat, quaecunque analogia denique non statim involvat typum, applicatio humana ab explicatione semper distinguenda sit: facile patebit, quid de typis huic hypothesi unice superstructis censendum sit. Vid. MICHAELIS *Typische Gottesgelahrtheit § X. p.* 27. 28. 32. *seq.*

§ XII.

Regulae generales de sensu mystico.

Finiam hoc de sensu mystico caput regulis quibusdam generalibus de sensu mystico S. Scripturae in genere et ubique observandis.

REGULA I.

Sensus mysticus neque est ubique negandus neque ubique affirmandus.

1) Sunt qui in *excessu* peccant omnibusque dictis et factis Scripturae mystici quid inesse putant. *Judaeorum* hunc esse naevum exegeticum, maxime recentiorum, qui Cabbalisticos lusus ubique crepant, ostendit WOLFIUS in *Biblioth. Hebr. Part. II. p.* 1197. 1236. ORIGENIS et *Origenistarum* lapsum in sensu mystico ubique quaerendo notarunt scriptores certamina ista Origenistica describentes. Vid. BUDDEUS in *Parerg. histor. theolog. p.* 143. *Pontificios* doctores plurimos, *Mysticos* impuriores, *Coccejanos* vana hypothesi sua de septem periodis ecclesiae N. Test. deceptos ad idem extremum prolapsos esse, constat in vulgus. Ne quid de FRID. ADOL. LAMPII et CAMPEG. VITRINGAE opinione de sensu miraculorum et fatorum Christi

mystico dicam. THOM. WOOLSTONI impii conatus circa sensum miraculorum Christi spiritualem eruditorum neminem latent; nec TH. BURNETI, HARDTII, IO. CHRIST. LANGII, DRISSENII aliorumque perversae sententiae.

2) Sunt qui in *defectu* peccant et paucissimis modo locis mysticum sensum inesse contendunt, ut *Sociniani* atque *Arminiani*, prout antea § *II. n.* 3. *p.* 32. 33. pluribus annotavi; quibus et illi addendi, qui sensum typicum V. Test. negarunt. Vid. § *XI. Reg. I. p.* 50.

REGULA II.

Criteria sensus mystici sunt ab interprete diligenter observanda.

1) De criteriis sensus mystici S. Scripturae extat RAMBACHII peculiaris dissertatio, ubi satis quidem docte, sed et diffuse nimis nec semper ἀκριβῶς de criteriis his infallibilibus commentatus est. Ego sequentia cum Clar. RECKENBERGERO nunc repetam criteria sensus mystici certa.

α) *Si Spiritus S. vel explicite vel implicite de sensu mystico monet;* hoc enim est infallibile atque divinum testimonium, quod unum sufficere potest atque debet, maxime in sensu typico. Vid. § *XI. Reg. II. pag.* 51.

β) *Si vel* genus *vel* totum *ex divino testimonio sensum habet mysticum in speciebus et in partibus, idem est quaerendus.* E. gr. totum tabernaculum Mosis habuit mysticam significationem, ergo atria etiam et diversae tabernaculi partes, ut erat πρόναον, ἅγιον, ἅγιον ἁγίων etc.

γ) *Si rei et personae, quam verba proxime innuunt, praedicata conveniunt ex aliqua parte eaque tenui, non ex omni, neque in illa, quam verba declarant, emphasi.* Exempla dedit VITRINGA in *typo doctr. prophet. p. m.* 176. *seq.* RAMBACHIUS in *dissert. de criteriis sensus myst.* § *XIII. p.* 40. 41.

REGULA III.

Loca Scripturae S., quae sensum mysticum innatum habent, et qua hunc et qua literalem sensum sunt vera pariter et argumentativa.

Postulat hoc ipsa definitio sensus mystici supra a me § *I. h. Cap.* data, siquidem ex hac constat, subjectum aeque ac praedicatum in locis, quibus mysticus sensus inest, esse complexum, non simplex, itaque duas quoque continet veritates ab ipso S. Spiritu intentas atque revelatas. E. gr. verba MOSIS, *Gen. II*, 24., *duo erunt una caro*, arctissimam conjugum conjunctionem, qua in oculis Dei unam personam constituunt, designant; insimul etiam unionem Christi intimam cum anima fideli per inhabitationem mysticam docent, ut affirmat PAULUS, *Eph. V*, 31. Ergo duas has doctrinas aeque veras et argumentativas complectitur.

REGULA IV.

Sensus mysticus innatus, h. e., a S. Spiritu intentus et per testimonium evidens indicatus, est argumentativus.

1) Vid. *Lib. I. Cap. III.* § *VII. Regul. III. n.* 3. *p.* 43. Inter orthodoxos etiam reperiuntur, qui sensui mystico vel omnino nullam vel admodum levem vim probandi inesse autumant, qua in re omnes, *Lib. I. Cap. III.* § *II. n.* 3. citatos habent ὁμοψήφους. Inde de sensu parabolico saepe pronunciant: *Sensus parabolicus non est argumentativus.* Velim autem ponderassent, 1) quod mysticus sensus innatus pendeat ab intentione S. Spiritus sitque id, quod Deus revelare intendit, quis huic vim probandi denegare potest? 2) quod apostoli ipsi doctrinas suas confirmaverint locis et verbis V. T. sensu mystico acceptis, credisne, apostolos argumentis ficulneis doctrinas suas voluisse probare?

2) Exemplum manifestissimum dedit IESUS in explicatione typi de aeneo serpente, *Io.* III, 14. 15., cui ut attendat interpres sacer, hoc magis necessarium est, quo certior et clarior est methodus ab ipso Sospitatore adhibita dogmata ex sensu mystico stabiliendi. Vult ibidem CHRISTUS docere, homines non nisi vera fide salvari posse. Quo argumento? hoc, quod ab aspectu fiduciali in aeneum serpentem erectum desumitur h. m.: Quemadmodum illi, qui a serpentibus vulnerati aspectu in erectum a Mose serpentem, et hoc solo fuere sanati, sic etiam omnis peccator, qui credit in

Iesum in crucem actum, hoc suo fidei aspectu servabitur. *Cap.* III, 15. 16. Simile argumentum ex sensu mystico historiae de *Ismaele* et *Isaaco* petitum adhibuit PAULUS ad confirmandam doctrinam de justificatione hominis per fidem absque operum meritis, *Gal.* IV, 21—31., ad quem locum a CALVINO, BEZA, CLERICO non satis circumspecte expositum videsis D. SAL. DEYLINGIUM in *Observ. Sacr. Part. V. p.* 366. *seqq.* HIERONYMI assertum, ex mysticis sensibus fidei dogmata non posse efficaciter confirmari, de mysticis accommodationibus ab interpretum ingeniis excogitatis accipiendum esse, contra in typis et allegoriis, quas Christus et Apostoli interpretantur, articulos fidei fundamentum certum habere, docuit FRIDER. BALDVINUS, in *Idea Dispos. Biblic. Cap. IV. § V. pag.* 199. 200.

LIBER II.

DE

SUBJECTO THEOLOGIAE

EXEGETICAE.

CAPUT PRIMUM

DE

SUBJECTO INHAESIONIS THEOLOGIAE EXEGETICAE.

§ I.

Quotuplex sit subjectum theologiae exegeticae.

Subjectum theologiae exegeticae est vel *inhaesionis* vel *tractationis*.

Subjectum *inhaesionis* est theologus, cui theologia exegetica habitualiter inhaerere debet et de quo agemus hoc in capite primo. Subjectum *tractationis*, quod et *occupationis* nec non *objectum* dici solet, est S. Scriptura, circa quam omne studium exegetae versatur et de qua capite secundo dicemus.

§ II.

Subjectum inhaesionis theologiae exegeticae est theologus.

Subjectum inhaesionis theologiae exegeticae non est quilibet lector S. Scripturae christianus, sed theologus professione talis.

Huc repetenda sunt, quae in *Prolegom.* § *X.* et *XIII.* attuli de discrimine inter id, quod ad τὸ *intelligere* et quod ad τὸ *explicare*, et quidem hahitualiter, S. Scripturam pertinet.

§ III.

Requisita exegetae.

Theologi exegetae requisita, quae habilitatem dant atque conficiunt, sunt

1) naturalia s. connata,
2) acquisita,
3) spiritualia.

§ IV.

Dona connata.

Naturalia vel connata dona, quibus homo ad theologiam exegeticam adspirans instructus esse debet, ad haec tria reduci poterunt: Nimirum ad

1) *memoriam felicem.*

In exegesi enim adesse debet notitia linguarum variarum rerumque philologicarum et locorum parallelorum promta reminiscentia.

2) *ingenium felix.*

Graece στοχασμός nominatur felicitas in conjectando, conjunctissima soror imaginationis, quae docet induere personas loquentium et scribentium, res gestas ad vivum repraesentare, affectus indagare etc. *Ubi psalmum aliquem decantas aut perlustras, toties tibi in mentem capias hostem aliquem similem tuae politiae, tuae regionis, tuae ecclesiae. Sic omnia plus te movebunt, plus tibi erunt sapida, sic plus penetrabunt, sic plus intelligentur.* FLACIUS *de interpret. sacr. literar. praef. p.* 9.

3) *judicium exactum.*

Vigor judicii opus ibi est, ubi πνευματικὰ πνευματικῶς sunt dijudicanda, 1. *Cor.* II, 14. 1. *Io.* IV, 1. Nullibi enim major est necessitas discernendi verum a falso quam in discernendis veris a falsis sacrarum literarum interpretationibus.

§ V.

Dona acquisita.

Acquisita dona, quae multo studio et opera humana acquirenda sunt, ut exegetae posthac usui esse queant, sunt

1) philologia et
2) philosophia.

1) Ad *philologica* requisita pertinet

α) *studium linguarum*, maxime Ebraeae, Chaldaicae, Graecae nec non Syriacae et Arabicae.

β) *grammatica*, qualem VOSSIUS dedit in Aristarcho et quae linguarum omnium judex atque magistra est dicenda.

γ) *rhetorica*, unde subsidia exegetica saepius petuntur.

δ) *critica*, quae et in V. T. et in N. T. usum eximium praestat.

ε) *historia* populorum, quorum in sacris literis mentio facta est horumque morum, consuetudinum, rituum et reliquorum omnium, quae vulgo *antiquitates* dici solent.

ζ) *geographia* antiqua; absque hac enim exegeta multis in locis S. Scripturae caecutit.

η) *chronologia* biblica.

2) Ex *philosophia* ad exegesin sacram transferri cum fructu poterunt maxime illa, quae in praeceptis *logicis* de hermeneutica in genere nec non de veritatis cujuslibet et inventione et dijudicatione commemorari solent. Quibuscum interdum observata physica quaedam conjungi poterunt.

Observ. I. Ex his, quae de requisitis futuri exegetae monentur, intelligi potest ac debet praestantia et difficultas studii exegetici, ad quod adeo multi illotis plane manibus accedunt, praecipue illi, qui nostra aetate ubique *novas observationes* in S. Scripturam crepant et parturiunt.

Observ. II. Falluntur qui philologicis et philosophicis his requisitis sic satis instructi statim se exegetas esse praestantissimos putant et, in *paraphrasi* et *analysi* pro ingeniorum suorum facilitate occupati, curas exegeticas vere tales vel negligunt vel contemnunt. Longe enim plura et longe alia ad solidam locorum S. Scripturae difficiliorum explicationem requiruntur.

§ VI.

Dona spiritualia.

Spiritualia dona, quibus instructus esse debet interpres sacer, sunt

I) *intellectus illuminatus.*

1) Nemo enim plene intelligit scripturam nisi cujus oculi sunt a Deo aperti (*Ps.* CXIX, 18.) et cujus cor πρὸς φωτισμὸν τῆς γνώσεως τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ ἐν προσώπῳ Ἰησοῦ Χριστοῦ a creatore lucis est illuminatum. 2. *Cor.* IV, 6. add. 2. *Cor.* III, 5. 6. Vid. *Prolegom.* § *IX.* *n.* 3.

2) Non solum autem instruitur intellectus in illuminatione viribus gratiae, ut verum a falso discernere certumque verborum sensum eruere queat, sed liberatur etiam a praeconceptis opinionibus auctoritatis, praejudicatae hypotheseos etc. tanquam a praecipuis impedimentis verum inveniendi sensum sacrarum literarum. His enim, qui adhuc laborant praejudiciis (ut sunt interpretes falsarum religionum omnes), lucem nunquam videbunt suo quippe tenebrarum amore et regimine obfuscati atque praepediti. *Io.* III, 19.

II) *voluntas sanctificata.*

Quaedam in primis virtutes a S. Spiritu in interprete sunt efficiendae, antequam exegesis feliciter procedere potest, e. gr. laborum patientia atque diligentia, hu-

militas verbo Dei hujusque veritati sese submittens, omnem fastum, gloriandi et novaturiendi cupiditatem excludens, sinceritas etc.

III) *affectus purificati.*

Ut est *amor* constans veritatis et verbi divini, *timor* filialis atque reverentia erga verbum Dei, *gaudium* sanctum de revelatione divina hujusque agnitione etc. Omnium maxime in interprete vehementia affectuum cohibenda est per gratiam S. Spiritus, ne vel ira vel odium vel praecipitantia quaecunque alia ipsum circumveniat et a recto tramite in devia abducat.

IV) *memoria confirmata.*

Ut enim interpres hujus et illius medii atque subsidii recordetur, et quidem in tempore, saluberrimum ipsi est et ab officio S. Spiritus mnemonico derivandum atque expetendum. *Io.* XIV, 26.

LIBRI II.

CAPUT SECUNDUM

DE

SUBJECTO TRACTATIONIS THEOLOGIAE EXEGETICAE.

§ I.

Subjectum tractationis theologiae exegeticae est S. Scriptura.

Subjectum tractationis seu operationis theologiae exegeticae est *Sacra Scriptura* et qua omnes et qua singulos suos libros horumque diversas sectiones, majores et minores, considerata.

Hoc quidem loco omnia afferri possent, quae et *dogmatice* et *historice* de S. Bibliis a theologo tradi merentur. Quia vero *dogmatica* S. Bibliorum consideratio in omnibus scholis, theticis atque polemicis, fieri solet, ita ut nullum fere prostet compendium, nullum systema theologicum, maxime apud nos Evangelicos, ubi de S. Scriptura ex instituto non fuerit actum. Quia porro *historica* eorundem tractatio ab his, qui introductiones in sacrum codicem variis sub titulis dederunt, fuit separatim instituta, prouti doctissimi libri CARPZOVII, PRITII, WALTHERI, HEIDEGGERI, HAGEMANNI, MICHAELIS, RUMPAEI, recentissime BOERNERI ac aliorum, quorum copiam in additamentis ad PRITII „*Introductionem in lectionem N. T.*“ *p.* 2. *seqq.* adduxi, comprobant. Praestat, ut in scholis exegeticis illa modo repetantur, quae ad explicationem Sacrae Scripturae proxime et immediate pertinent, ut sunt

I) *claritas* S. Scripturae et
II) *divisio* S. Scripturae.

De quibus agemus duabus in sectionibus mox sequentibus.

SECTIO I.

DE

CLARITATE S. SCRIPTURAE.

---

§ I.

Definitio.

Claritas est affectio S. Scripturae, qua fit, ut res ad salutem cognitu necessariae in sacris literis ab attento lectore per S. Spiritus gratiam intelligi facile queant.

§ II.

Existentia claritatis.

Talem claritatem competere S. Scripturae contra Pontificios in theologia polemica et thetica pluribus asseritur, unde nunc haec tria repetere juvabit: quod nempe perspicuitas ejus confirmetur ex

1) *dictis atque testimoniis clarissimis, Ps.* CXIX, 105. 130. *Ps.* XIX, 9. *Prov.* VI, 23. 2. *Petr.* I, 19. 2. *Tim.* III, 15. 16. Conf. CALOVII *apodixin fidei p.* 45.

2) *inductione locorum classicorum*, in quibus dogmata praecipua et praecepta apertissime traduntur, ita ut puerulus voluntatem Dei inde intelligere facile queat. Evolvantur sequentia: *Marc.* XVI, 16. *Io.* III, 16. 1. *Tim.* I, 15. *Esa.* LIII, *tot. Gen.* XV, 6. (XVIII, 18.) XLIX, 10. Adde decalogum, orationem dominicam, institutionem sacramentorum etc.

3) *ex fine S. Scripturae;* voluerunt enim et pro finis sui ratione debuerunt viri ϑεόπνευστοι ita scribere, ut quilibet lector mentem eorum assequi et fidem in Christum consequi posset. *Io.* XX, 31. 2. *Tim.* III, 16. *Io.* V, 39.

§ III.

Dantur in S. Scriptura loca difficiliora.

Haec autem claritas, quam S. Scripturae in praecipuis doctrinis et locis vindicamus, non impedit, quo minus in eadem existant loca quaedam difficiliora, in quorum explicatione industria theologi exegetae occupata esse debet.

1) Dari loca S. Scripturae difficiliora, quae non nisi adhibita multa diligentia possunt intelligi, praecipue in rebus historicis, geographicis, chronologicis et antiquitatibus, nemo unquam negavit. Inde vero obscuritatis accusare eandem, et eam quidem totam, falsa est conclusio a particulari ad universale et manifesta confusio obscuritatis cum difficultate. Etenim non omne, quod difficile, etiam obscurum est, quemadmodum nec liber quisque alius, qui in quibusdam et ex parte difficilis est, totus est obscurus habendus.

2) Quod Deus permiserit, facilioribus difficilia quaedam admisceri in sacris paginis, variis ex rationibus atque causis deduci solet, quae a RAMBACHIO in *Institut. Hermeneut. Sacr. Lib. I. Cap. II.* § *XIII. p.* 46. ex AUGUSTINO *de Doctr. Christ. Lib. II. Cap. VI.* fuere allegatae. Ego vero, admirandam Dei sapientiam his difficultatibus voluisse mederi taedio lectorum verbique frequentiorem tractationem et repetitionem iisdem inculcare, mihi certissime persuasum habeo, quia quotidiana experientia docet, librum difficiliorem multo majore studio perlegi, immo vero etiam propter hanc suam difficultatem saepius legi ac relegi ab hominibus, quibus et novi et veri inquisitio est connata. Accedit, quod multae res in S. Scriptura obviae sua natura sint ita comparatae, ut aliis verbis quam difficultate quadam circumseptis exprimi non potuerint, id quod § *V. VI. VII.* exemplis confirmabitur.

§ IV.

Causae hujus difficultatis spuriae.

Causa difficultatis hujus non est in Deo hujusque arcana voluntate nec in scriptoribus sacris horumque ignorantia quaerenda, sed in ipsa vel *lectorum* vel *rerum* vel *linguarum* natura atque conditione.

1) Qui cum IO. CALVINO horrendum, ut ipse vocavit, dogma de praedestinatione ex absoluto decreto facta statuunt, non possunt, quin contendant, difficultates in S. Scriptura obvias hunc in finem existere, ut reprobati excludantur ab intellectu mysteriorum divinorum. Provocant ideo ad *Luc.* VIII, 10. *Marc.* IV, 11. 12. Tu vero confer MICH. WALTHERI *Harmoniam biblicam p.* 812. 850. *edit. sext.*

2) Ab ignorantia, inertia et rusticitate scriptorum sacrorum derivare difficultates non veretur grex Pseudo-Moravorum nec non IO. LAMIUS et impius EDELMANNUS, quibuscum omnes S. Scripturae contemtores conspirant.

§ V.

Causae verae.

Vera causa et origo difficiliorum S. Scripturae locorum quaerenda est

I) *in lectore.*

Si quis sacram scripturam legit, qui donis et requisitis supra *Lib. II. Cap. I.* commemoratis non est instructus, huic omnino multa videbuntur dubia et difficilia, quae aliis rite instructis lectoribus sunt clara atque certa. Quot, bone Deus, interpretationem S. Scripturae aggressi sunt tantum non omnibus fere subsidiis, immo vero etiam attentione justa destituti, contra praejudiciis pravisque affectibus praeventi, quid mirum, his si qua videntur dubia in se extra omne dubium posita. Vid. FLACIUS *Clav. Scriptur. Tom. II. fol.* 1.

II) *in rebus.*

Scriptura S. proponit *mysteria* fidei captum rationis superantia, *vaticinia*, quae semper, priusquam adimplentur, intellectu sunt difficilia, descriptiones *geographicas* aliasque res *antiquissimas*, a nostris terris, moribus, institutis atque temporibus remotissimas. An vero miraberis, his locis inesse difficultates? *Ubicunque autem res ipsae obscurae ac difficiles sunt, difficile est, scriptorem intelligere, etiamsi ejus sermo alioquin dilucidissimus sit.* FLACIUS *Clav. Scriptur. Tom. II. fol.* 3.

III) *in sermonis Ebraei et Graeci conditione.*

Lingua Ebraea et Graeca pertinent ad mortuas, ut in scholis loquimur, non ad vivas et adhuc usitatas. Habent autem vivae suas difficultates, quae ne quidem a claritatis et perspicuitatis studiosissimo penitus superari semper possunt. Multo magis mortuae et antiquatae linguae habebunt sua incommoda, quorum enodatio interpretes remoratur.

§ VI.

Quaenam voces in S. Scriptura sint difficiles.

Voces, quae in S. Scriptura difficultates secum habent, omnium maxime sunt, quae

1) minus usitatae,
2) peregrinae,
3) homonymicae.

1) *Voces minus usitatae* tunc quidem temporis, cum sacri scriptores viverent, satis fuere notae atque usitatae, sed quia rarior iis utendi adfuit occasio, usus earum in sacris literis etiam rarior est, quae raritas posthac lapsu temporum difficultatem peperit. Huc pertinent voces *ἅπαξ λεγόμεναι* Vet. Test. et Nov. Test., quarum catalogum prolixum repetere poteris ex IO. CHRIST. CLODII *Lexico Hebraico selecto;* nec non nomina rei *vestiariae*, *agrariae*, *architecturae*,

mercaturae, *animalium* etc. Hanc difficultatem auget defectus aliorum librorum Ebraicorum, ex quibus forsitan rariores voces possent illustrari; nam praeter V. Test. Ebraeus alius prostat nullus.

2) *Voces exoticae* seu peregrinae in V. Test. et in N. Test. extantes non possunt non difficultatem parere, cum notitia linguarum, unde translatae fuere, nunc maximam partem careamus ipsaeque hae linguae a pristino suo statu multum deflexerint. Sic in V. Test. leguntur voces peregrinae, e. gr. *Gen.* XLI, 43. אַבְרֵךְ, *Exod.* XIII, 16. טוֹטָפוֹת, de quibus BARTH. MAYERUS in *Philolog. Sacr. Part. I. Cap. III. seq.*, AUG. PFEIFFERUS *Dub. vex. p.* 181. Adde etiam תְּרָפִים, צָפְנַת פַּעְנֵחַ etc., add. HOTTINGERUS in *Smegm. Oriental. Lib. I. Cap. V. p.* 67. Similiter in N. T. exotica vocabula Persica, Syro-Chaldaea, Latina reperiri, docuit AUG. PFEIFFERUS in *Quinquagena locor. Ebr. et exotic. N. Test.*, quam suis *Dubiis vexatis f.* 880. *seqq.* adjecit. Inde vero male concludi ad fontium Ebraicorum et Graecorum impuritatem et soloecismos, pluribus demonstravi in not. ad PRITII *Introd. in lection. N. Test. p.* 310.

3) *Voces homonymicae* in omnibus sunt linguis et in omnibus suas etiam secum trahunt difficultates. Quo fit, ut in interpretatione scriptorum tam sacrorum quam profanorum gignant subinde impedimenta sensus, prouti pluribus monstravit IO. CLERICUS *Art. Crit. Tom. I. Part. II. Sect. I. Cap. V. p.* 178. Praesertim in particulis et Ebraeis et Graecis regnat homonymia, prouti NOLDIUS et DEVARIUS ex instituto ostenderunt, unde et harum significatio hoc majore industria opus habet.

§ VII.

Quaenam phrases in S. Scriptura sint difficiles.

Phrasibus difficultas inesse solet, si sunt 1) idioticae, 2) homonymicae, 3) minus usitatae, 4) peregrinae, 5) a ritibus, consuetudinibus et opinionibus veterum desumtae.

1) *Idiotismis* nulla caret lingua. Vivarum linguarum idiotismi satis difficulter addiscuntur, ita ut qui harum unam multos etsi annos discere studuerit, subinde

in iisdem adhuc hallucinetur; igitur in mortuis linguis, Ebraea, Chaldaea et Graeca, idiotismos interdum difficultates gignere, omnino concedi debet. Conferantur, quae infra *Lib. III. Cap. III.* de idiotismis allaturus ero.

2) *Homonymiis* subjacent nonnullae phrases et impedimenta sensus non adeo levia efficiunt, ut docet IO. CLERICUS *Art. Critic. Tom. I. Part. II. Sect. I. Cap. V. p.* 175. Ebraea pariter et Graeca lingua V. et N. Test. habet omnino homonymicas phrases a GLASSIO, VIGERIO, DANTZIO, FLACIO, LEIGHIO, RAVANELLO, STOCKIO diligenter observatas et collectas. Oriuntur inde difficultates, siquidem, quaenam in quovis loco obtineat phraseos significatio, indagandum est per media hermeneutica *Lib. III. Cap. III. § V. Regul. III.* a me recensenda.

3) *Minus usitatas*, quae vel semel vel bis aut ter leguntur in S. codice, habere difficultates, HIOBI et HOSEAE libri abunde declarant, in quorum expositione tot viri celeberrimi ad hunc usque diem non tam laborarunt, quam desudarunt.

4) Ad *peregrinas* phrases V. Test. refero Chaldaismos aliasque loquendi vel construendi rationes, quas in Syriaca et Arabica lingua frequentiores esse videmus. De N. Test. constat abunde, quod habeat constructiones in aliis scriptoribus Graecis vix ac ne vix quidem obvias indeque etiam soloecismorum, sed immerito, postulatas et vulgo Ebraismorum nomine signatas; de quibus autem sententiam meam prolixe exposui ad PRITII *Introduct. in lection. N. T. Cap. XXII. § II. III. VI. p.* 313. 319., unde unum hoc repetam, quod sacri scriptores Graecam analogiam grammaticam ubique servent ac ideo a soloecismis vere talibus sint liberi. Vid. BLACKWALLI *auctor. classic. sacr. Tom. I. Part. I. Cap. II.* § 51. *seq.*

5) Ex *ritibus*, *opinionibus* et *institutis veterum* phrases magnam accipiunt difficultatem; nam quo remotiora sunt nostra tempora ab illis primis, hoc magis nos latent, quae olim omnibus et singulis quotidiana ideoque notissima et dilucidissima fuerunt. Qui fit, ut poëtarum Graecorum et Latinorum interpretatio sit difficilis? profecto inde maxime, quod veteres consuetudines, mythologicas opiniones, facta pristina, vestitum habitumque priorum saeculorum saepe vel

respexerint vel tetigerint, quorum singulorum apud nos est memoria nulla. IO. CLERICUS prolixe hoc prosequitur argumentum in *Art. Critic. Tom. I. Part. II. Sect. I. Cap. XIII. p.* 275., ubi tamen § 7. 8. nonnulla loca V. Test. (*Exod.* III, 15. 1. *Sam.* XXIX, 6.) explicare voluit eo, quem probare non possum, modo.

§ VIII.

Quaenam difficultates ex stili sacri forma oriantur.

Oriuntur denique difficultates ex forma stili in sacris literis non modo diversi, sed etiam pro diversitate auctorum nunc intricatioris, nunc expeditioris.

E. gr. PAULUS amavit genus scribendi *parentheticum* concinnasque digressiones; sed initium parentheseos ejusdemque finem definire, non caret difficultate. SALOMO utitur stilo *allegorico* rhetorico et florido in Cantico Canticorum; sed enodatio tot metaphorarum est multa cum cura instituenda. HOSEA loquitur per *ellipses* frequentiores, IOANNES et SALOMO per *aphorismos*, EZECHIEL per signa et *typos*. Singula haec industriam sibi vindicant singularem, siquidem non modo sensum verborum grammaticum, sed et connexionem rerum logicam faciunt intricatiorem.

SECTIO II.

DE

ORDINE ET PARTITIONE LIBRORUM S. SCRIPTURAE.

---

§ I.

Partitio in V. Test. et N. Test.

Codex sacer dividitur in libros V. T. et N. T., quorum illi sermone Ebraeo (paucissimis Chaldaicis adjectis locis), hi Graeco idiomate sunt conscripti.

1) Unde haec appellatio *testamenti* ejusdemque *veteris* et *novi* sit derivanda et quaenam utriusque sit convenientia aut differentia, meum nunc non est pluribus disquirere. Consulatur vero CALOVIUS *Tom. I. Bibl. illustr. Praeloqu. Gener.* § 12. *p.* 1. *seq.* PRITIUS in *Introduct. in lectionem N. Test. Cap. I.* § *I. p.* 8. WALTHERUS in *Officin. biblic.* § 253. *p.* 223. Unum hoc repeto, quod totus codex sacer vulgo dicatur *Scriptura* sacra, praeeunte ipso S. Spiritu 2. *Tim.* III, 15., *Io.* V, 39., *Luc.* XXIV, 27., *Matth.* XXI, 42., XXII, 29., 1. *Cor.* XV, 3. 4., ejus partes praecipuae vero ductu apostoli PAULI testamentum *vetus* et *novum* dici videantur, 2. *Cor.* III, 14., *Gal.* IV, 24. add. *Ier.* XXXI, 31.

2) De libris apocryphis et V. Test. et N. Test. disputatur in polemico-thetica theologia, ubi contra Pontificios asseritur, apocrypha ad θεόπνευστα non esse referenda; unde nec nostra exegesis ad ea usque extendenda erit, sed hermeneutica generalis seu profana.

§ II.

Partitio V. Test. et librorum ordo.

Veteris Testamenti libri aliter a Judaeis quam a Christianis dispesci solent.

1) Judaei dispescunt V. Test. in tres partes, nempe in תּוֹרָה (legem), נְבִיאִים (prophetas) et כְּתוּבִים (hagiographa); cumque hujus trimembris divisionis vestigia omnino deprehendantur *Luc.* XXIV, 44., fit verisimile, jam aetate Christi et Apostolorum eam, suo tamen modo, obtinuisse sacramque Scripturam tunc temporis jam tribus voluminibus comprehensam fuisse. Vid. LIGHTFOOTUS *Hor. Ebraic. Tom. II. Opp. p.* 569. Errant vero Judaei, si fundamentum hujus partitionis ex triplici θεοπνευστίας modo et gradu derivant, quasi summo scilicet gradu Moses, proximo ab his prophetae, infimo autores hagiographi steterint. Vid. CARPZOVIUS in *Crit. sacr. Vet. Test. Part. I. Cap. IV.* § *II. p.* 135. Nec pro divina et ab Esra et collegis facta habenda est τριχοτομία, prout SIXT. AMAMA Eliam Levitam secutus existimavit, siquidem hujus memoria in ipso codice V. Test. nuspiam occurrit; habet etiam, quae non immerito in ea notantur, in primis quod ad distributionem in prophetas et hagiographa.

2) Judaei ad תּוֹרָה (*legem*) referunt Pentateuchum, cujus quinque libros a vocibus initialibus denominare solent, ita ut *Genesis* dicatur בְּרֵאשִׁית, *Exodus* שְׁמוֹת, *Leviticus* וַיִּקְרָא, *Numeri* וַיְדַבֵּר, *Deuteronomium* דְּבָרִים.

Ad נְבִיאִים (*prophetas*) referuntur partim libri historici, Iosuae, Judicum, Samuelis, Regum, quos Judaei רִאשׁוֹנִים, priores, vocant, partim libri prophetici, Esaiae, Jeremiae, Ezechielis et duodecim prophetarum minorum. *Danielem* excludunt et ad כְּתוּבִים referunt, ut hoc citius eludere queant vim argumentorum e clarissimis Danielis vaticiniis haustorum suamque opinionem de expectando adhuc Messia confutantium. Vid. PFEIFFERI *Crit. S. Cap. I. Qu. III. p.* 20. 21.

Ad כְּתוּבִים (*hagiographa*) referunt libros Psalmorum, Proverbiorum, Iobi, Cantici Canticorum, Ruth, Threnorum, Ecclesiastis, Esther, Danielis, Esrae, Nehe-

miae, Chronicorum. Et quia ex his quinque libri diebus festis in synagogis Judaeorum praelegi solent, nempe Canticum, Ruth, Threni, Esther, Ecclesiastes, hos quinque חָמֵשׁ מְגִלּוֹת dicere amant.

3) Quemadmodum Judaei *singulos Pentateuchi libros* appellarunt a prima cujusvis libri voce, sic etiam singulas dictae τριχοτομίας partes tres a primo libro cujusque partis vocarunt. In tertia parte primus liber erat Psalmorum, inde tertia pars *Psalmi* dicebatur, *Luc.* XXIV, 44. In secunda parte primus liber erat Ieremiae, non ut hodie Esaiae, quo factum est, ut haec pars secunda *Ieremias* diceretur, prout LIGHTFOOTUS *loc. cit.* satis demonstravit. Solvitur hoc modo omnis nodus, quem ἀβλεψία, *Matth.* XXVII, 9., indissolubilem existimavit. In prima parte praeter *Mosis* libros alii non continentur, hinc Moses saepius dicitur in N. Test. *Luc.* XXIV, 27. 44. *Io.* V, 46. *Act.* XV, 21. XXI, 21. Conf. VITRINGA *Comment. in Esa. p.* 19. 20.

4) Christiani libros V. Test. commodius ita disponunt, ut primum locum *historici*, secundum *metrici* s. poëtici, tertium *prophetici* teneant; sunt autem qui rectius in quatuor partes libros V. Test. disponi posse autumant, in legalem, historicam, poëticam et propheticam. Vid. CARPZOVIUS in *Critic. Sacr. Vet. Test. Part. I. Cap. IV.* § 3. *p.* 140.

§ III.

Divisio librorum V. Test. in paraschas et haphtharas.

Judaei libros Mosis dispescunt in LIV *paraschas* vel *sidras*, libros propheticos in totidem *haphtharas*.

1) Qui voces *parascha* et *sidra* audit, statim rationem denominationis intelligit; significant enim sectionem sabbathicam, περικοπήν, quam Judaei quovis die sabbathi juxta ordinem praelegere in synagogis solent, ita ut intra anni spatium totus Pentateuchus absolvatur. Initium ejusmodi sectionis signatur vel per פפפ vel per ססס et quia prolixiores sunt, opus etiam fuit intermediis divisionibus, quae per simplex פ et ס indicantur et prouti vel clausae vel apertae habentur,

vel in initio lineae vel in ejus medio occurrunt. Vid. PFEIFFERI *Critic. sacr. Cap. I.* § *X. seqq. p. m.* 8. 9. CARPZOVIUS *l. c.* § *IV. p.* 141.

2) Cum Judaei sub jugo Antiochi Epiphanis (ut fert vulgata sententia Judaeorum a VITRINGA autem et Vener. CARPZOVIO in dubium vocata) a lectione legis Mosaicae prohiberentur, in hujus locum substituebant praelectionem publicam prophetarum scriptaque prophetica in LIV sectiones dispescebant, quas הַפְטָרוֹת (*haphtharas*) dixere, ut a sectionibus legis distinguerentur. Conf. CARPZOVIUS *l. c. p.* 147., LEUSDENIUS in *Philol. Ebr. p.* 26., PFEIFFERUS *l. c. p.* 14. Tabulam singularum parascharum atque haphthararum per anni spatium praelegi solitarum exhibuit CALOVIUS *Tom. I. Bibl. illustrat. p.* 31. 32.

3) De origine et auctoritate divisionis legis in paraschas disceptant eruditi. Sunt qui ab ipso Mose, sunt qui ab antiquissima V. Test. ecclesia, ex *Act.* XV, 21., sunt qui ab Esra et synagoga magna, sunt denique qui a doctoribus Tiberiensibus eas derivant. Vid. CARPZOVIUS *Crit. Sacr. V. Test. Part. I. Cap. IV.* § *IV. p.* 142, 143. PFEIFFERUS *l. c. Qu. IV. p.* 22. 23.

§ IV.

Divisio V. T. in capita et versus.

Christiani dispescunt libros V. Test. in *capita* et *versus*.

1) Capita fuere inventa saeculo decimo tertio ab HUGONE DE S. CARO, Cardinali, qui, cum concordantias biblicas conscribere vellet, propter meliorem et promtiorem inventionem cujusque loci biblici, quemvis librum in certa capita dispescere debuit; quam capitum seriem adhuc in nostris bibliis servamus, etsi variis naevis laboret. Plura de HUGONE et de hac divisione in capita saepe vitiosa leguntur in PRITIO, *Introduct. in Lection. N. T. Cap. XXVI.* § *I. p.* 352., BLACKWALLO *Auct. Class. Sacr. Tom. II. Part. II. Cap. II. p.* 496., TENZELIO *de Ritu Sacrar. Lection.* § 43. *seq.* Judaei hodierni hanc dividendi rationem in capita assumserunt et פְּרָקִים vel קַפִּיטוּלִים vocant.

2) Non soli Christiani, sed et Judaei agnoscunt divinam originem distributionis in *versus*, quotquot accentus ab ipsis sacris scriptoribus profectos existimant. Judaei פְּסוּקִים nominant, quod nomen a Chaldaeo vocabulo פְּסַק, *cessare, finem habere*, derivatur. Divinam originem probare satagunt 1) ex proximo et necessario nexu versuum distinctionis et accentuum consecutionis, 2) ex sensus divini certitudine atque evidentia, quae sine hac distinctione multis in locis vacillaret, 3) ex auctoritate et suffragio synagogae veteris, 4) ex vanitate exceptionum divinae origini oppositarum. Conf. CARPZOVIUS *Critic. Sacr. V. Test. Part. I. Cap. IV.* § *V. p.* 152. 153. LEUSDENIUS in *Philol. Hebr. p.* 20.

§ V.

Divisio N. Test. in libros historicos, epistolicos, propheticum.

Codex N. Test. distribuitur in libros *historicos*, *epistolicos* et *propheticum*.

Ad *historicos* referuntur quatuor Evangelistae et Actus Apostolici. Ad *epistolicos* quatuordecim epistolae Paulinae et septem catholicae. *Propheticus* autem non est nisi unus, nempe Apocalypsis S. Ioannis. Veteres Christiani ut plurimum N. Test. in duos libros secabant, quorum alterum *εὐαγγέλιον*, alterum *ἀπόστολον* vel *ἀποστολικόν* nominabant. Vid. MILLIUS in *Prolegom. ad N. Test.* § 199. MARCION imitatus est hanc *διχοτομίαν* et duo confinxit volumina, quorum unum vocabat *ἀπόστολον*, alterum *εὐαγγέλιον*; quo conatu scripta Evangelistarum et Apostolorum interpolare atque corrumpere studebat. Vid. EPIPHANIUS *Haeres. XLII. Oper. Epiphan. Tom. I. p.* 311. 317. Saeculo quarto ATHANASIUS Alexandrinus in octo partes divisit libros N. Test., ita nimirum, ut quatuor evangelia partes quatuor, Actus Apostolici quintam, septem catholicae epistolae sextam, quatuordecim epistolae Paulinae septimam, et Apocalypsis octavam. Pontificii plerique satis incommodam suppeditant divisionem, dum N. Test. distinguunt in libros legales, historicum, sapientiales et propheticum. Vid. PRITII *Introduct. in Lect. N. Test. Cap. II. p.* 16.

§ VI.

Divisio N. T. in capita et versus.

Singuli libri N. Test. dispescuntur in *capita* et *versus*.

1) Distinctio hodierna librorum N. T. in capita ab eodem HUGONE DE S. CARO originem trahit, a quo § IV. sectionem librorum Vet. Test. in capita derivavimus. Utut enim ab antiquis ecclesiae doctoribus diu ante HUGONEM κεφαλαίων seu capitulorum mentio fuerit facta ipseque numerus τίτλων et κεφαλαίων singulorum librorum N. Test. adhuc in variis codicibus MSS. prostet, prouti PRITIUS *l. c. Cap. XXIV. p.* 326. evicit: haec tamen capitula cum nostra divisione in capita nullo modo comparanda sunt et ab hac prorsus differunt. Caeterum patet exinde, priscos jam dudum doctores ecclesiae intellexisse, libros N. Test. opus habere divisione quadam, ut loca eorundem citius repeti atque inveniri possint.

2) Distinctio in versus illos, quos nunc pleraeque editiones N. Test. exhibent, est recens inventum ROB. STEPHANI, cujus filius HENRICUS in *praef. ad Concordant. Graec.* rem his verbis narrat: *Initium a duobus sumam, quorum utrum magis mirari debeas, dubitabis. Unum est, quod Lutetia Lugdunum petens hanc, qua de agitur, capitis cujusque catacopen confecit et quidem magnam ejus inter equitandum partem; alterum, quod illum paullo ante de hac cogitantem plerique omnes incogitantem esse ajebant, perinde ac si in re prorsus inutili futura ideoque non tantum nullam laudem consecutura, sed in derisum etiam ventura ponere tempus atque operam vellet. At ecce contra eorundem damnatricem instituti patris mei opinionem inventum illud simul in lucem, simul in omnium gratiam venit simulque in tantam auctoritatem, ut quasi exauctorarentur aliae testamenti novi sive Graecae, sive Latinae, sive Gallicae, sive Germanicae, sive in alia vernacula lingua editiones, quae inventum id secutae non essent.* Sed, quicquid STEPHANUS hoc de invento glorietur, certissimum est, multa incommoda ex eodem exorta esse inque versuum distinctione Stephaniana frequentiores lapsus animadverti, nec non indicia satis multa, STEPHANUM

inter equitandum absolvisse laborem, qui vero majorem curam atque deliberationem, ac in ephippio locum habere poterat, requirebat. Eruditissimi viri, BLACKWALLUS, HUMER. PRIDEAUX, RIVETUS, WETTSTEINIUS aliique optarunt ideo hujus interdistinctionis emendationem. Vid. BLACKWALLI *Auctor. Class. Sacr. Tom. II. Part. II. Cap. I. p.* 492. PRITIUS *Introd. in Lection. N. T. Cap. XXVI. p.* 355.

§ VII.

Regulae.

Ex his, quae de divisione V. Test. aeque ac N. Test. in suas partes dicta sunt, sequentes deducimus regulas futuro exegetae cognitu necessarias.

REGULA I.

Libri biblici juxta ordinem chronologicum dispositi non sunt, quare nec ex eorundem loco vel anteriori vel citeriori argumenta peti possunt.

Conf. RAMBACHII *Instit. Hermeneut. Sacr. Lib. II. Cap. VI. § III. p.* 221., qui HARDVINUM merito taxat, quod Salomonem ideo putaverit libri Hiobi auctorem, quia medius esse solet inter Proverbia et Canticum Salomonis, siquidem CARPZOVIUS ostendit, diversa loca in canone V. T. olim tenuisse librum Hiobi. Vid. *Introd. in libr. poetic. V. Test. p.* 31. Similem reprehensionem incurrunt doctores Pontificii, qui ex ordine epistolarum Paulinarum nunc recepto Romanae ecclesiae dignitatem et primatum asserunt, quia nempe *epistola Pauli ad Romanos* sit in ordine prima. Qui primatum Petri ex eo, quod *Petri epistolae* inter catholicas sint primae, stabilire satagunt, nae illi in re gravi pueriliter ludunt, cum in exemplaribus Graecis semper sit S. Iacobi epistola inter catholicas prima.

REGULA II.

Nosse chronotaxin scriptorum sacrorum, maxime V. Testamenti, utile erit interpreti sacro.

1) Constat enim, quam multum prosint exegetis tituli *psalmorum*, quibus occasio eos componendi indicatur; e. gr. *Ps. LI.*, qui hymnus certe ex solo titulo lucem eximiam accipit. Sic etiam sese res habet cum plurimis *prophetarum* sermonibus, prout STEPH. GAUSSENUS monuit: *Quum quis se ad prophetarum lectionem adjungit, sedulo videat, quo anno quisque scripserit, sub quibus regibus, Hierosolymisne ad Judaeos, an Samariae, apud reliquas tribus. Dici enim ferme non potest, quanti sit illa προπαιδία ad prophetias intelligendas. Dissert. theol. p.* 40. Nec in N. T. omni utilitate carebit investigatio aetatis, qua quisque liber N. T. olim fuerit scriptus, quemadmodum non modo quaestio de aetate *posterioris epistolae ad Timotheum* a WESSELIO mota clare testatur, sed et papistica de *Apocalypsi S. Ioannis*, quod sub Nerone ante excidium Hierosolymitanum conscripta sit ideoque hanc praedixerit. Vid. PRITII *Introd. in lection. N. T. Cap. X. p.* 125.

2) Quo tempore quilibet scriptor sacer vixerit atque scripserit, nostrum nunc non est exponere. Commendamus vero lectoribus nostris evolutionem auctorum, qui hoc nobilissimum argumentum critico-sacrum vel in suis introductionibus vel in commentariis suis pluribus pertractarunt, CARPZOVIUM in *Introd. ad Libr. Bibl. V. T. Part. I. Cap. XIV.* § *V. p.* 250. *Part. III. Cap. I.* § *XXVI. p.* 75. (qui USSERIUM per omnia sequitur), CALOVIUM in *Chronic. bibl.*, quod praemissum est *Tomo I. Bibl. illustr. p.* 38. *seq.*, add. PRITIUS in *Introd. in lection. N. T. Cap. XII. XIII. XVIII.*, RAMBACHIUS in *Hermeneut. sacr. Lib. II. Cap. VI.* § *III. p.* 221., HEIDEGGERUS in *Enchirid.*, WALTHERUS in *Officin. biblic.* etc. Laudanda etiam est opera commentatorum, qui in prolegomenis suis commentariis praemissis semper fere de aetate auctoris et scripti sacri sedulo disquirunt eoque ipso viam ad felicius investigandum sensum sibi aliisque muniunt, ut fecit SEB. SCHMIDIUS, FRIEDER. BALDVINUS, CHRIST. STARCKIUS, MARCKIUS, VITRINGA, alii.

REGULA III.

Partes librorum biblicorum non semper juxta temporum seriem cohaerent.

1) Sunt nonnulli libri biblici ita dispositi, ut seriem rerum chronologicam servent resque eo, quo olim evenerunt, ordine commemorent, ut sunt Libri Mosis, Iosuae, Judicum, Ruth, Samuelis, Regum, Chronicorum et in N. Test. quatuor Evangelia cum Actibus Apostolorum.

De hysterologiis et prolepsibus historicis.

Nec obstant huic ordini ὑστερολογίαι nec προλήψεις in his libris passim obviae, e. gr. *Gen.* I, 1. II, 7. XI, 1. XXXV, 29. 1. *Reg.* XXII, 51. *Exod.* X, 28. XI, 4. etc., siquidem tales rerum anticipationes et repetitiones ab ipsa natura historicae relationis postulantur subinde et in omnibus accuratissimis etiam historicis absque vitio obviant. Aliud enim est, annales condere, aliud historiam scribere. Prae caeteris ὑστερολογία insignis legitur *Judic. XVII. XVIII. XIX. XX. XXI. capp.* de idolo Michae a Danitis erepto et de bello Benjaminitico, prouti docuerunt LIGHTFOOTUS in *Chron. Temp. V. T. Tom. I. Oper. p.* 45., CARPZOVIUS in *Introd. in libros historic. V. Test. p.* 189. 190., qua admissa evanescet dubium illud chronologicum ex 1. *Reg.* VI, 1. enatum circa computum annorum ab exitu Israëlitarum ex Aegypto usque ad aeram templi Salomonei conditi. Consimili modo per ὑστερολογίαν conciliari potest diversa narratio Matthaei et Lucae de tentatione triplici IESU in deserto, siquidem Matthaeus per voculas τότε, πάλιν, manifeste declarat, rem a se juxta seriem temporis narrari, Lucas e contrario simplici copulatione trina, *καί v.* 5. et *καί v.* 9., magis rem quam tempus se respexisse innuit.

2) In quibusdam libris S. Scripturae ordo rerum et sermonum chronologicus nequaquam servatur, unde interpres erraret, si ex illo, quo capita et versus librorum cohaerent, ordine explicationem petere vellet. Sic *psalmi* illo, quo olim compositi fuere a suis auctoribus, ordine non numerantur, id quod ex nonnullis titulis et auctoribus psalmorum nec non ex fine

psalmi LXXII. abunde patet, sed pro diversa et colligendi et decantandi ratione dispositi comparent. An *sermones* et orationes Esaiae, Ieremiae aliorumque prophetarum eodem ordine nunc legantur, quo olim habiti aut a Deo suggesti fuere, haereo. Nec mihi persuadere possum, in *Apocalypsi* S. Ioannis visiones propheticas continuam dedisse historiam ecclesiasticam N. Test., sed diversa ecclesiae fata praedicuntur in visionibus illis diversis hoc ordine, qui divinae sapientiae optimus visus fuit, non tam propter seriem eventuum, quam propter eventuum ipsorum naturam et singularitatem. Vid. PRITIUS *Introduct. in Lect. N. Test. Cap. X. p.* 125., NEUMANNUS *de regno millenario, § XVII. p.* 24.

REGULA IV.

Licet a distinctione capitum Scripturae S. recedere.

Divisio librorum V. Test. et N. Test. in sectiones et capita arbitraria est licetque interpreti sacro, ab his consuetis et Judaeorum et Christianorum divisionibus recedere.

1) Etenim et *paroscharum* et *haphthararum* nec non *capitum* inventio est humana virisque *θεοπνεύστοις* nequaquam tribuenda, prouti supra § *III. IV.* ostendi. Quam vero prisca saecula habuere libertatem, cur nostris, quaeso, temporibus esset neganda? Nonne nobis etiam illa data est potestas, quam olim sibi sumsit HUGO DE S. CARO? Vid. AUG. PFEIFFERI *Crit. S. Cap. I. Quaest. IV. p.* 22. 23.

2) Ridendi sunt, qui ne ad latum quidem unguem a consueta capitum distinctione recedere volunt veriti, ne quid auctoritati S. Scripturae eo derogetur. Spissam certe ignorantiam produnt seque de origine et mendis distinctionis istius certiores nondum factos esse declarant. Vitiosam eam esse HUGONEMque saepissime divulsisse conjungenda et conjunxisse divellenda, viri eruditi ostenderunt, BLACKWALLUS in *Classic. Auctor. sacr. Tom. II. p.* 495—498., CARPZOVIUS in *Crit. sacr. V. Test. Part. I. Cap. IV. § V. p.* 153., RUMPAEUS in *Comment. critic. N. Test. § XXXVII. p.* 157. Non

modo LUTHERUS in versione Germanica, sed etiam IUNIUS et TREMELLIUS ab Hugoniana divisione jam dudum recesserunt, quorum exempla imitari fas esto. Exempla falsissimae distinctionis habebis quam plurima in citatis auctorum scriptis; pro ratione nostri instituti sequentia evolve capita: *Col.* IV, 1. coll. *c.* III. 2. *Cor.* VII. coll. *c.* VI. *Io.* VII. *ult.* coll. *c.* VIII. *Esa.* IV. XVIII. XXVII. LIII. *Act.* XXI. *Apoc.* XXII, 1. *Matth.* XX. coll. XIX.

REGULA V.

De versibus V. Test. et N. Test.

Distinctio V. Test. in versus ceu divina semper est ab interprete servanda; sed divisio N. Test. in versus, quae humana tantum est, sicubi opus fuerit, mutari atque emendari potest.

1) Distinctionem versuum in V. Testamento originem suam deducere a viris θεοπνεύστοις, et quidem a suis auctoribus, non ab Esra nec a viris synagogae magnae, persuasi sumus ex rationibus supra § IV. allatis. Quodsi vero ab his פְּסוּקִים appositi fuere, impium esset *omnino*, si quicquam in iis vel mutare vel emendare auderet exegeta.


2) Distinctionem N. Test. in versus recentius inventum esse ROB. STEPHANI, § VI. monuimus insuperque concessimus, eam ubique lydium lapidem non ferre, cui insuper nunc idem, quod in observationibus ad PRITII *Introduct. in Lect. N. Test. Cap. XXVII. p.* 362. 363. jamdudum observavimus, addimus, quod ne quidem distinctio in *cola* et *commata* post ERASMUM et STEPHANUM recepta semper satis accurata sit. Hinc suademus cuilibet N. Test. interpreti, ut in locis dubiis N. Test. dispiciat de interdistinctione vocum et de interpunctione, id quod Lib. III. Cap. VII. exemplis collustrabimus atque ulterius deducemus.

LIBER III.

DE

PRINCIPIO, MEDIIS ET SUBSIDIIS

THEOLOGIAE EXEGETICAE.



CAPUT PRIMUM

DE

PRINCIPIO THEOLOGIAE EXEGETICAE.



§ I.

Principium cognoscendi theologiam exegeticam.

Principium cognoscendi theologiam exegeticam est ipsa S. Scriptura, quippe ex qua media, quorum ope loca difficiliora exponi possunt, addisci atque depromi debent.

1) Vulgo dicere solent, *Scripturam esse ex Scriptura explicandam;* quae phrasis idem illud exprimit, quod nos termino in philosophorum scholis usitato, nempe principio cognoscendi, indicare volumus. Principium *commune* dicitur id, quod dirigit media. Principium *cognoscendi* est, a quo cognitio ulterior procedit tanquam ignotum ex notiore. Sic etiam h. l. S. Scriptura est *principium commune*, quod dirigit media hermeneutica, quorum ope loca difficiliora exponi possunt; et quia eo ipso docet, ignotum ex notiore, hoc est, difficilius ex faciliore et clariore explicare, hinc jure *principium cognoscendi* appellatur.

2) His observatis evanescit Pontificiorum cavillatio, ac si in Protestantium ecclesiis idem per idem exponi vellet, dum Scriptura per Scripturam explicaretur. Nam idem per idem, diverso autem respectu et modo consideratum explicare, vitiosum non est. Nonne tabulae ultimae voluntatis qua loca difficiliora ex iisdem tabulis, nequaquam ex arbitrio externi cujusdam arbitri vel judicis exponi debent? Nonne diplómata et mandata principum intelliguntur per eadem diplomata et mandata, hoc est, per verba in iisdem clariora rerumque connexionem? Nonne CICERO per CICERONEM, LIVIUS per LIVIUM omnium optime et certissime exponitur? Nimirum si Scripturam per Scripturam explicandam dicimus, in praedicato Scriptura eloquium Scripturae clarum atque evidens, sed in subjecto locum ejus dubium et eloquium difficile denotat; ergo idem per idem, sed diverso respectu acceptum, explicatur absque vitio.

3) Consimili modo intelligendum est, quando dicitur, *Scripturam S. seipsam explicare.* Explicat enim seipsam vel actu vel potentia. Actu, dum dictis quibusdam intellectu difficilioribus ipsa subjungit explicationem, e. gr. *Io.* II, 21. XI, 13. *Esa.* LI, 1. 2. etc. Potentia, dum media hermeneutica subministrat in *textu originali*, in *contextu* et in *parallelismo.* Atque sic S. Scriptura est sui ipsius interpres, non personalis, sed realis.

§ II.

Scripturam semetipsam explicare, probatur.

Scripturam esse ex Scriptura explicandam, his argumentis confirmatur:

I) *Quia ipse* CHRISTUS *et Apostoli Scripturam ex Scriptura explicarunt.* CHRISTUS cum diabolo ipso de vero sensu verborum *Psalm.* XCI, 11. disputans provocat ad *parallelismum Deut.* VI, 16. *Matth.* IV, 6. 7. PAULUS de semine Abrahae disserens *Gal.* III, 16. et verba Dei *Gen.* XXII, 18. explicans ad *textum originalem,* et quidem ad numerum singularem vocis σπέρματος, provocat. PETRUS verborum *Psalm.* XVI, 10. sensum declaraturus *Act.* II, 29. ex *contextu* et circumstantiis

ostendit, non de DAVIDE, sed de CHRISTO verba psalmi esse accipienda. En! tria illa media hermeneutica ex ipsius S. Scripturae visceribus sumta, CHRISTI et Apostolorum suffragiis et exemplis confirmata, quae adhuc in ecclesia evangelico-apostolica servantur. Adde quoque loca Scripturae alia, ubi idem modus interpretandi Scripturam per Scripturam obviat, e. gr. *Act.* II, 34., ubi *Psalm.* CX. exponitur, *Ebr.* I, 5. 13. Act. XXVI, 22. *Matth.* V, 17.

II) *Quia omnia verba S. Scripturae sunt a S. Spiritu suggesta;* S. Spiritus vero, qui est spiritus veritatis, sibi contradicere non potest: ergo Scripturae locus alter ex altero, loca difficiliora ex facilioribus et notioribus, dubia ex certioribus sunt explicanda. Si CICERONIS locus quidam obscurior explicatur ex ejusdem auctoris clariore loco, nemo non explicationem probat, cum tamen fieri potuerit, ut CICERO humana infirmitate circumventus sibi ipsi non semper constaret. Haec formido autem plane abest a sacris literis, cum sacri scriptores uno eodem spiritu (*φερόμενοι, 2 Petr.* I, 21.) lati sibi semper et ubique constiterint nec a se invicem dissentire potuerint. *Gal.* I, 7. 8. *Eph.* IV, 5.

III) *Quia perspicuitas S. Scripturae et hujus finis postulat, ut ex seipsa intelligi queat.* Si qua difficultas in interpretandis verbis tabularum ultimae voluntatis seu testamenti oritur, felicius et certius tolli ista nequit, quam per interpretationem ex ipsis hujus testamenti verbis et contextu petitam; nec est alia via, per quam de testatoris voluntate lectoribus constare posset. Transfer haec ad testamenti V. et N. verba et apparebit, aliam viam, per quam ad verum ejus sensum contingere liceat, non dari, quam hanc, qua Scriptura ex Scriptura hujusque verba difficiliora ex clarioribus et facilioribus exponuntur.

IV) *Quia regula hermeneutica est universalis, generalis ac in omnium scriptorum interpretatione infallibilis, ut ex clarioribus obscura, ex facilioribus difficilia intelligantur.* Sic juris consultus suas leges, sic medicus HIPPOCRATEM, sic philosophus PLATONEM explicat. Quae igitur adesset ratio, cur haec regula hermeneutica ubique validissima in sola S. Scripturae explicatione valere nequeat?

Observ. Quando Pontificii ecclesiam Evangelicam, ut antea monuimus, ob hanc Scripturae interpretatio-

nem ex Scriptura vitiosae petitionis principii et quod idem per idem explicet, postulant, committunt ἄγνοιαν τοῦ ἐλέγχου. Nam si Scripturam dicimus per Scripturam esse explicandam, posteriore loco Scriptura (ut praedicatum) denotat ea, quae in sacris literis sunt clarissima, priore autem (ut in subjecto) ea, quae in iisdem sunt difficilia aut dubia. *Legitima et sine periculo est expositio Scripturae secundum Scripturas*, inquit IRENAEUS *Lib. IV. adv. Haeres. Cap. XXXIII. fol. 272. edit. Massuet.*

§ III.

Analogia fidei an principium theologiae exegeticae?

Qui Scripturam ex Scriptura explicat, servat analogiam Scripturae et in hac *fidei;* inde fit, ut *analogia fidei* a nonnullis dicatur principium theologiae exegeticae.

1) Huc pertinet mandatum Apostoli, *Rom.* XII, 6., quod omnis prophetia, h. e., verbi prophetici expositio, debeat esse fidei analoga. Posset quidem haec analogia varias in species dividi, nempe in *moralem, historicam, grammaticam* et *dogmaticam* (vid. LOESCHERI *Breviar. Theol. exeget. p.* 27.), sed re curatius pensitata facile patebit, analogiam et parallelismum confundi illa divisione ac melius consuli rei exegeticae, si analogia fidei stricte sic dicta ab analogia Scripturae in genere spectata sejungatur.

Definitio analogiae fidei.

2) *Analogia fidei* est nexus veritatum coelestium ex clarissimis Scripturae S. locis haustus, ad quem si loca dubia referuntur, patet, quis horum sensus esse possit ac debeat. Nam definiente CICERONE *analogiae vis haec est, ut id, quod dubium est, ad aliquod simile, de quo non quaeritur, referat, ut incerta certis probet. Lib. I. Instit. Orator. Cap. VI.*

§ IV.

Regulae.

Regulae de analogia fidei in exegesi observandae sunt hae duae:

REGULA I.

Quicquid analogiae fidei certae atque indubiae repugnat, admittendum non est.

Nititur haec regula iis, quae § I. et II. allata et confirmata fuere, unde etiam prolixiore explicatione opus non habet. Exemplo esse poterit *Iac.* II, 21. coll. *Rom.* III, 24. 28., siquidem fidei analogia interpretem manu quasi adducet ad sensum IACOBI verum detegendum.

REGULA II.

Non omnis expositio dicti sacri, quae analogiae fidei convenit, statim est vera; sed praeter hanc analogiam aliis quoque argumentis ex mediis hermeneuticis deducendis confirmanda est loci interpretatio.

Prostant enim *interpretationes Scripturae S. satis piae, sed minus accuratae*, de quibus vener. D. STEMMLERUS duas egregias dissertationes edidit. Dant sensum fidei quidem analogum, non contextui seu, uti LUTHERUS loquitur, bonam quidem sententiam, sed non propriam illius, quem interpretantur, loci. Hinc ut propria loci fiat, addenda sunt alia argumenta ex contextu maxime petenda.

§ V.

Traditiones humanae non sunt principium theologiæ exegeticæ.

Traditiones humanae, etsi antiquae, principium S. exegeseos non sunt.

Contra Pontificios doctores hoc notamus, qui in concilio παποπνεύστῳ Tridentino decreverunt, *contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum patrum ipsam Scripturam sacram non esse interpretandam, etiamsi hujusmodi interpretationes nullo unquam tempore in lucem edendae forent. Sess. IV. Decret. II.* Boni autem patres Tridentini ipsi 1) nescivere, quis sit ille sensus, quem ecclesiam tenuisse dicunt; eumque adhuc nesciunt illorum successores. Certe nostrates toties jamjam catalogum et traditionum jactitatarum et interpretationum invariatarum de singulis Scripturae locis postularunt, sed ad hunc usque diem illum edere recusarunt nec unquam edere poterunt. 2) Quod si de vero sensu per traditionem in ecclesia servato indubitato constitit concilio Tridentino, eccur neque SIXTO V. neque CLEMENTI VIII. P. P. R. R. in adornanda illa versione vulgata, quae interpretatio simul esse debuit, sibi apprime contradicentibus de hoc constitit, quibus tamen ut putatitiis capitibus ecclesiae omnium primo de illo constare debuisset? Utinam Pontificii hujus *belli papalis*, in quo papa papam anathemate percussit, et quidem in quaestione de regula fidei, diligenter recordarentur, oculis cernerent, verum illum sensum, quem Tridentini jactant, ejusdem furfuris esse cum impudentissima canonizatione nonentis, h. e., versionis authenticae tunc temporis nondum existentis, sed adhuc futurae. 3) Consensus patrum, si principii loco laudatur, quilibet Pontificius ejus lubricitatem atque incertitudinem facillime agnoscet, si mente reputabit, quod ecclesia Graeca in iisdem fidei articulis, ubi a Latina longissime dissentit, etiam semper ad consensum patrum provocet, huicque se suas interpretationes Scripturae superstruxisse, aeque ut synodus Tridentina, glorietur. Quod si patres adeo a se invicem distant, ut in controversiis summis utraque pars litigans (Graeca ex hac parte, Latina ex altera) ad eorundem consensum et testimonia provocare possint, ubi, quaeso, est ille *consensus patrum NB. unanimis* a Tridentinis allegatus? add. DALLAEUS *De usu patrum.* 4) Patres dono infallibilitatis non fuere instructi, prout ipsi Pontificii concedunt, quo jure itaque pro infallibili principio exegeseos sacrae venditantur? 5) Denique

ex ipsorum Pontificum Romanorum, quos tamen infallibiles putant, scriptis facillime ostendi poterit, ne hos quidem in interpretatione S. Scripturae unum eundemque sensum tenuisse. Sed plura non addam, quia in theologia polemica saepius hac de re disceptatum fuit contra Pontificios. Interim ex his apparet, quam corrupta esse debeat omnis S. Scripturae interpretatio in scriptis Pontificiis ne AUGUSTINO quidem CALMETO excepto. Vid. BUDDEI *Praef. ad* RAMBACH. *Institut. hermeneut.*

§ VI.

Revelationes immediatae non sunt principium theol. exeget.

Immediatum Spiritus S. dictamen non est principium exegeseos sacrae.

Fanaticorum turba negat, ope regularum hermeneuticarum sensum S. Scripturae erui debere, e contrario prae se fert immediatas S. Spiritus suggestiones et revelationes, per quas de veri sensus manifestatione gloriantur. Vid. ROB. BARCLAIUS in *Apolog. Thes. X. fol.* 198., VAL. WEIGELII *gueldener Griff, Cap. XXII. fol.* 63. Sed tales immediatas revelationes hodie in ecclesia plantata amplius non existere, alibi satis demonstratum fuit.

§ VII.

Ratio humana non est principium theol. exeget.

Ratio humana non est principium theologiae exegeticae.

1) Multi sunt, qui sanae rationis (ut ajunt) dictamen principium credunt interpretationis sacrarum literarum, inter quos agmen ducit SOCINI cohors, quae fatente SMALZIO *Homil. VIII. in Io. I. p.* 89. docet, etiamsi non semel atque iterum, sed *satis crebro* et *disertissime* scriptum extaret, Deum esse hominem factum, satius esse, modum aliquem comminisci, quo ista de Deo dici possunt, quam ista *simpliciter* ita, *ut verba sonant*, intelligere. Conspirant cum Socinianis *Arminiani*, qui docente IO. CLERICO *Logic. p.* 115.

sensum revelationis a ratione discere se debere perhibent. Auctor libelli famosissimi (*Philosophia Scripturae Interpres*), quem LUDOV. MEIERUM, medicum Amstelaedamensem, fuisse ajunt, eandem sententiam ingressus est. Nec longe ab hac abludunt *Copernicani* quidam, qui Scripturam ad erroneos vulgi conceptus ex sana ratione corrigendos vel explicandos loqui contendunt. Ne quid de conatibus *Naturalistarum* et *Deistarum* recentium in Anglia, Belgio et Germania commemorem. Doleo, quod doctorum *Reformati* coetus mentionem facere cogar, etsi non ignorem, eos aegerrime ferre, hujus si vitii *accusantur*, *potius* contendere, ac si rationi tantam auctoritatem in S. Scripturae interpretatione nequaquam concederent; demonstravit vero CALOVIUS *Tom. II. System. Theol. Cap. III. Quaest. VI. p.* 358., IO. CONR. DANNHAVERUS in *Hodom. Spirit. Calvin. Phant. I. § II. p.* 36. *seqq.*, IO. MUSAEUS *de usu principior. Ration. in theol. Lib. I. Cap. XVIII. p.* 159. tam ex praxi, quam ex assertis clarissimis Reformatorum, rationem humanam ab his omnino nimis extolli atque magisterium in exegesi sacra eidem adscribi. Quod si qui illorum sunt, qui nobiscum in hac assertione consentiunt per omnia, exclusos eos nunc volo nec nominatos; nollem enim tribuere sententiam viris, cui ipsimet sese serio opponunt, dummodo omnis absit fucus et fallacia.

Rationis diversae significationes.

2) Rationi in re exegetica usum *organicum* non denegamus, sed principiativum, magisterialem, dominantem. Cum in notione *rationis* et ejusdem *sanae* sic dictae monente ipso LEIBNITIO in *praelim. dissert. ad Theodic. de concordia fidei et rationis § I. p. m.* 31. *edit. Gottsched.* magna lateat aequivocatio, quae inde ab ultimis temporibus religionis Christianae occasionem variis dedit litibus, monere fas erit, quod *rationem* dicamus hoc loco rationalitatem, quae ab intellectualitate distinguitur et in ratiocinatione et veritatis dijudicatione consistit.

Ratio corrupta.

Haec ratio s. rationalitas est post lapsum Adami corrupta, multis morbis et infirmitatibus, vitiis et erroribus undequaque circumdata, ita ut ne quidem in

rebus humanis, multo minus in divinis et spiritualibus recte semper percipiat, conjungat et judicet, sed caeca et stulta sit (1. *Cor.* II, 14. *Matth.* XVI, 17. *Eph.* IV, 18). Atque hanc corruptam rationem non posse principium exegeseos sacrae esse, extra concertationis aleam est positum.

Ratio sana.

Emendanda itaque erit ratio, ut fiat *sana.* Bene quidem, sed quo medio? Respondeo, vel per *naturam* vel per *gratiam.* Datur emendatio rationis et sanatio per naturalem institutionem, quam in logicis philosophorum praeceptis invenire licet. Inde oritur ratio *sana* quidem, sed adhuc carnalis, mundana, sapientia secundum carnem, quae mysteriis fidei repugnat et sibi contraria existimat, immo totum evangelium *μωρίαν* dicit. 1. *Cor.* I, 18. 23. Errat apertissime in hac mysteriorum dijudicatione et reprehensione, quia de talibus rebus, quae suae sphaerae non subjacent, uti veteres theologi loquuntur, vel de iis, quae *supra rationem* sunt, ut post LEIBNITIUM plerique loqui amant, judicare audet eaque *contra rationem sanam* putat, quae modo *supra rationem* sunt, h. e., quae ex principiis natura notis neque affirmari neque negari possunt. Vid. HOLLAZII *Exam. Theol. Part. I. Cap. II. Qu. LV. p. m.* 344. Sequitur inde, quod ne quidem *ratio sana* per naturae auxilia tantum emendata et sanata principium theologiae exegeticae esse nequeat.

Ratio illuminata.

Datur emendatio rationis per gratiam, quae fit in illuminatione S. Spiritus; inde oritur alia species *sanae rationis,* quam *illuminatam* dicimus, quae vires supernaturales a gratia S. Spiritus applicatrice accepit, quarum ope non modo sua connata vitia agnoscit et emendat, sed et spiritualia divinitus revelata percipit et dijudicat, 1. *Cor.* II, 15. *Eph.* V, 8., et imaginis divinae restaurationem in se sentit, *Eph.* IV, 24. *Col.* III, 10. Sed ne haec quidem ratio illuminata potest esse principium theologiae exegeticae, quod media hermeneutica dirigeret et ex qua exegesin cognoscere possemus.

Usus rationis organicus in exegesi sacra.

Est autem *organum* et *subjectum recipiens*; quemadmodum enim doctor a discipulo, loquens ab auditore, sic etiam principium cognoscendi a subjecto, quod cognoscit, sedulo distinguitur. Spiritus S. mediante verbo divino docet, illuminat atque dirigit rationem humanam tanquam suum discipulum et auditorem; quis dixerit autem discipulum praeceptorem? Vid. HOLLAZIUS *l. c. Prolegom. III. Quaest. IV. p. m.* 68. Cavendum ergo est, ne principium cum instrumento et subjecto recipiente confundatur, quod fit, si ratio principium theologiae exegeticae dicitur.

Atque sic ex his, quae paullo prolixius pro nostrorum temporum necessitate disputavimus, patebit, rationem sanam neque *subjective* sumtam neque *objective*, ut hodie loqui solent philosophi, esse principium exegeseos sacrae, sed habere eam in theologia nostra, quemadmodum in tota theologia revelata, tantummodo usum instrumentalem s. organicum.

LIBRI III.

CAPUT SECUNDUM

DE

MEDIIS ET SUBSIDIIS THEOLOGIAE EXEGETICAE IN GENERE.

---

§ I.

Media exegetica, quid?

Media exegeticae theologiae sunt, quorum ope verus sensus Scripturae S. eruitur atque demonstratur.

§ II.

Numerus mediorum theologiae exegeticae.

Sunt autem tria:

1) *textus originalis* evolutio,
2) *contextus* investigatio,
3) *parallelismi* consideratio et allegatio.

Observ. I. Qui his tribus mediis *analogiam fidei* superaddunt, vel late vel stricte eam accipiunt. Si late, confundunt principium theologiae exegeticae cum medio; si stricte, a nobis non dissentiunt, sed analogiam nominant, quod nos parallelismum vocavimus.

Observ. II. Haec tria media conjunctim sumta dant demonstrationem exegeticam h. m.: Quaecunque interpretatio convenit cum textu originali, cum contextu, denique cum parallelismo, illa est certa atque infallibilis.

§ III.

Subsidia theologiae exegeticae.

Quae usum horum mediorum facilitant, dicuntur *subsidia exegetica* et sunt

1) *grammatica*,
2) *critica*,
3) *rhetorica*,
4) *logica*,
5) *disciplinae reales*.

§ IV.

Adminicula theologiae exegeticae.

Quae usum mediorum aeque ac subsidiorum exegeticorum facilitant, placet nominare *adminicula exegetica* et sunt

1) *versiones S. codicis*,
2) *lexica*,
3) *concordantiae*,
4) *commentatores*.

LIBRI III.

CAPUT TERTIUM

DE

CONSIDERATIONE TEXTUS ORIGINALIS.

---

§ I.

Voces et phrases in textu originali singillatim sunt ponderandae.

Si qua difficultas in S. Scriptura obviat aut loci cujusdam meditatio accuratior instituenda est, ante omnia textus originalis (h. e. lingua, qua viri *θεόπνευστοι* usi fuere) evolvendus est hujusque singulae *voces* et *phrases* diligenter ponderandae.

1) Universalis est regula hermeneutica, quodvis scriptum ex sua, non ex illa, in quam translata est, lingua esse exponendum et ex hac sensum auctoris dijudicandum, qui in versione videbatur paullo obscurior et intricatior. Lis si de sensu diplomatis olim Latine exarati nascitur, nemo sanus ad versionem ejus Germanicam et Gallicam provocat, quia sana ratio docet, ex originali lingua quodvis scriptum esse explicandum. Igitur in explicandis literis sacris eadem methodus est tenenda et omnium primo lingua, vel Ebraea vel Graeca, evolvenda vocumque originalium vera significatio investiganda.

2) Quot, quaeso, loca in versionibus videntur difficilia, immo vero etiam cum veritate pugnantia, quae in fontibus adeo clara sunt, ut subinde primo statim sub adspectu textus sacri extemplo omnis difficultas et obscuritas evanescat. Exempla multa dare possemus ex Latina illa corrupta versione, quam *vulgatam* dicere

solent, quae a Pontificiis doctoribus pro palliandis erroribus allegantur hisque favere videntur, quibus vero a nostratibus nihil aliud, quam textus originalis opponitur atque sic uno hoc ictu prostrata jacent. E. gr. si Pontificius homo ex verbis PAULI, *Tit.* III, 10.: *Haereticum hominem devita*, ope pessimae interdistinctionis vocum DE VITA probare satagit, licitum esse, haereticos (*de vita*) mortis damnare, responsio certa dari citius nequit, quam ex sola inspectione Graeci textus, in quo *παραιτοῦ* legitur. Quod si quis alius merita bonorum operum ex effato: *Talibus enim hostiis promeretur Deus* (*Ebr.* XIII, 16.) stabilire vult, vox in Graeco textu, *εὐαρεστεῖται*, uno impetu pharisaicam illam suam opinionem et pravam verborum detorsionem destruit. Patet inde ratio, cur Pontificii tam iniqui sint textus originalis et linguarum studii censores atque contemtores, quibus e contrario hoc magis damus, quo certius est, de sensu Dei in S. Scriptura loquentis infallibiliter ecclesiae constare non posse, nisi mens Domini ex ipsa, qua Deus est usus, lingua hauriatur.

§ II.

Quid in singulis vocibus sit considerandum.

Qui textum originalem considerare eoque tanquam medio exegetico uti vult, tam *voces* quam *phrases* et in his singulis

1) *etymologiam*,
2) *homonymiam*,
3) *synonymiam*,
4) *emphasin*

observare atque expendere tenetur.

§ III.

Etymologia vocum.

In vocibus, quae explicatione opus habent, consideranda est *etymologia* seu *originatio*, ut lo-

quitur QUINCTILIANUS, quae non modo inquirit in vocum *derivationem* et *compositionem*, sed et in earum *significationem etymologicam*.

1) In vocum *derivatione* exegeta ponderat primitiva atque cognata et exinde, quid vox vi sui etymi vel significet vere vel quid significare posset, concludit. Si nomen Messiae שִׁילֹה, *Gen.* XLIX, 10., ab etymo שָׁלָה derivamus, *pacificator* atque *tranquillator*, *εἰρηνοποιός*, qui pacem Deum inter et homines conciliavit, nobis a IACOBO sistitur. Vox Ebraea גֹּאֵל, *Hiob* XIX, 25., derivatur a primitivo גָּאַל, quod *causam alterius agere*, *pro aliquo interpellare* denotat, quemadmodum cognata denominatio גֹּאֵל הַדָּם, *vindicem sanguinis*, h. e., qui jure propinquae cognationis causam occisi agit coram judice, significat. Inde de etymologico sensu vocis ab Hiobo adhibitae constare satis potest. Graeca vox *κρατέω*, quia *κράτος robur* et potentiam et *κράτιστος* virum potentia excellentem denotat, non simplex *tenere*, sed cum robore et fortitudine tenere, *fortiter et robuste tenere* indicat *Apoc.* III, 11.

Compositio vocum.

2) Ex vocum *compositione* de significatione aptum fertur judicium. Dantur autem voces compositae in Graeca lingua multae, e. gr. *ἐξαπορέομαι* 2. *Cor.* I, 8., *συναντιλαμβάνεσθαι Rom.* VIII, 26., *ἀποκαραδοκία Rom.* VIII, 19., *ἐθελοθρησκεία Col.* II, 23. E contrario in Ebraea praeter nomina quaedam pauca composita non dantur composita. Composita verba grammatice sic dicta in Ebraeo sermone non dari, docet IO. ANDR. DANZIUS in *Interpr. Ebr.* § *XCIII p. m.* 101. Simul autem observat, simplicia verba compositorum vices sustinere, ita ut vel particulae, quae in Graeco et Latino idiomate ipsis verbis simplicibus praemittuntur, sequenti voci praefigantur vel diversae constructiones vel denique contextus compositionem indicent; sed quod ad nomina, in primis propria, dubio caret, in his compositionem vel per lineolam Makkeph vel sine hac indicatam deprehendi. Utraque ratio legitur *Gen.* XXXV, 18. בֶּן־אוֹנִי et בִּנְיָמִין; add. *Cant.* VIII, 7. *Ier.* II, 31. 1. *Sam.* II, 12.

§ IV.

Regulae de etymologiae vocum consideratione.

Multae quidem dari possent aut saltem repeti regulae exegeticae de etymologica vocum consideratione, sed cum ex subsidiis grammaticis atque criticis supponi in exegesi sacra possint, paucas modo sequentes tanquam praecipuas diligenter inculcabimus.

REGULA I.

Quaelibet vox ex illa, ad quam pertinet, lingua est derivanda.

Ita nimirum, ut Graeca ex Graeco, Ebraea ex Ebraeo, peregrina ex peregrino sermone deducatur. Errarunt patres, qui nomina Ἰησοῦς, Κηφᾶς, πάσχα, ex Graeca lingua derivarunt, cum omnes sint originis Ebraeae. Nonne risum merentur, qui nomen *Mosis* a Graeco vocabulo μόσχος ortum traxisse credunt, quum *Exod.* II, 10. affirmatum fuerit, illud ab Ebraeo מָשָׁה, *extraxit,* derivatum fuisse? Nec me movet, quod filia Pharaonis, Aegyptia, hoc infanti nomen dederit, ut cum plerisque commentatoribus credam, ex Aegyptiaco sermone id esse petendum; nam cum populus Ebraeus per tot saecula in Aegypto fuerit commoratus et cum Aegyptiis diuturnam habuerit consuetudinem, fieri debuit, ut Ebraei Aegyptiacae et Aegyptii vicissim Ebraeae linguae notitiam consequerentur, maxime vero illi, qui in aula Pharaonis vivebant. Saltem, quid impedit, quo minus filia regis duas calluerit linguas in paterno regno solitas atque notas? Vid. ANDR. RIVETUS in *Commentar. ad Exod.* p. 49. 50. Peccat etiam contra regulam datam KIRSTENIUS, qui nomen *Immanuelis* ex Arabico derivare et per *fortitudinem populi* convertere veritus non est, cum apertissime de origine Ebraea constet ipseque S. Spiritus *Matth.* I, 23. hanc exposuerit, μεθ' ἡμῶν ὁ Θεός, *nobiscum Deus.*

REGULA II.

Idem vocis sonus nondum dat eandem vocis significationem.

1) Conf. AUG. PFEIFFERUS in *Thesaur. hermeneut. Cap. VI. p.* 266. Pluribus hanc regulam confirmavit et ceu generalem et in omnium scriptorum interpretatione observandam laudavit IO. CLERICUS in *Art. Critic. Tom. I. Part. I. Cap. IV. § X. p.* 88. 89. Recte quidem; multis enim exemplis ex omnibus fere linguis ostendi potest, quasdam diversarum linguarum voces convenire qua sensum externum, distare autem qua significatum. Immo vero etiam in una eademque lingua extant voces qua literas et sonum vel multa vel omni ex parte eaedem, attamen qua significationem diversissimae, quarum ex Graecia prolixum catalogum dedit PHILOPONUS GRAMMATICUS seu, quem vulgo auctorem putant, CYRILLUS περὶ ὁμοίων καὶ διαφόρων λέξεων.

2) Videant illi, qui Ebraea difficiliora vocabula ex cognatis linguis, Arabica, Syriaca, Aethiopica veteri, explicare student, ne ex sola identitate soni ad identitatem sensus concludant, siquidem saepe vidimus, discipulos eruditi SCHULTENSII magistri sui vestigiis parum incaute insistentes et Arabica tantum non ubique crepantes ex hac soni identitate semper fere argumentari notissimasque inde vocum significationes vel impugnare vel expolire velle. Quod quam sit incertum interpretationis genus, ex regula nostra apparet.

REGULA III.

Derivata saepe mutant significationem primitivorum.

Regulae hujus confirmationem quotidianus omnium linguarum usus suppeditat; itaque ea supersedebo. Nec exemplis opus erit, cum ubique sint obvia et ab omnibus grammaticis iterum iterumque recensa.

REGULA IV.

Cum verba Ebraeorum simplicia saepe induant significationem compositorum, haec 1) ex contextu et 2) diverso construendi modo 3) nec non particulis vel seorsim positis vel sequenti voci praefixis ab illa secernenda est.

Vid. DANZIUS in *Interpret. Ebr. Chald. Cap. III.* § *XCIII, p.* 102., GLASSIUS in *Philol. Sacr. Lib. III. Tract. III. Can. I. p.* 742., ubi verba עָמַד, נָפַל, הָלַךְ, נָתַן allegarunt locisque biblicis illustrarunt huc repetendis. Ego enim unum hoc observandum et interpreti probe inculcandum existimo, quod tres in regula a me nunc suppeditatae rationes, propter quas simplici verbo sit compositi significatio tribuenda, in quovis fere loco sint afferendae; haud raro enim fieri solet, ut pro composito habeatur, quod simplicis naturam retinere debet, quemadmodum GLASSIUS *loc. cit. p.* 744. verbo קָרָא, quod et *vocare* et *invocare* et *advocare* significare potest, condocuit. Sed si 1) ex contextu, 2) ex diverso construendi modo nec non 3) ex particulis inter verbum et nomen seorsim positis vel sequenti nomini praefixis demonstratur compositionis significatio, certus esse potest interpres de vero loci vocisque sensu.

REGULA V.

In compositione vocum Graecarum diligenter attendendum est ad usum et significatum particularum in compositione.

Optime enim constat, particulas Graecas in compositione mirum in modum variare significationem illarum vocum, quibuscum componuntur. Exempla dant grammatici, in primis IAC. WELLERUS et DEVARIUS; nos uno hoc erimus contenti: Praepositio διά notat in compositione *diversitatem*, διακρίνω (discerno) 1. *Cor.* XI, 29., διάκρισις *Rom.* XIV, 1.; *medium per quod*, διαβαίνω (transeo) *Luc.* XVI, 26.; *continuationem et studium*, διακαθαρίζω (perpurgo) *Matth.* III, 12., διαβλέπω

Matth. VII, 5.; nonnunquam *abundat* etiam, διαγγέλλω (annuntio) *Luc.* IX, 60. Adde vocem semel in N. Test. obviam ἀντίλυτρον 1. *Tim.* II, 6., in qua ἀντί pro *loco, vice*, adhibita denotat illud pretium, quod pro alio, loco et vice alterius solvitur, ut ἀντίλυτρον sit pretium vicarium, loco aliorum a sponsore solutum. (Adde Ἀντίχριστον, *vicarium Christi*, 1. *Io.* II, 18.) Sed ἀντί in aliis compositis aliam servare significationem, latet neminem.

REGULA VI.

Dubiae vocum originationi interpres ne inhaereat, siquidem argumenta ex sola originatione deducta admodum infirma sunt.

Quam infirma sint argumenta ex etymologia desumta, nisi alia argumenta accesserint, tam consuetudo et usus quam regulae nostrae II. et III. satis docent. Exempla dedit GLASSIUS in *Philol. sacr. Lib. III. Tract. I. Can. XXXVI. p. m.* 665.

REGULA VII.

Etymo ignoto vocis significatio petenda est 1) *ex cognatis vocibus* 2) *et cognatis linguis*, 3) *ex contextu*, 4) *ex versionibus antiquis* 5) *et in Graeca lingua ex profanis scriptoribus.*

1) Hac regula viam monstramus ad investigandam significationem vocum vel rariorum vel ἅπαξ λεγομένων, maxime Ebraearum, quia, cum unus tantum codex sacer Ebraei idiomatis supersit, difficilius sit, etymologicum sensum vocis rarioris evolvere, quam in Graeco, cujus plures prostant libri et scriptores. Latere tamen non poterit sensus verus vocum, etsi rariorum indeque difficiliorum, quinque his subsidiis recte adhibitis. Dari enim *vocum cognationes* in Ebraea et Graeca lingua, in confesso est apud omnes; nec latet, Ebraeam, Arabicam, Chaldaicam, Syriacam veteremque Aethiopicam *linguas cognatas* esse, tam propinqua cognatione conjunctas, ut non desint, qui eas non tam diversas linguas, quam dialectos vocare malint. SAM.

BOCHARTUS, ABR. SCHULTENS, LUD. CAPELLUS, LUD. DE DIEU, IO. LUDOLPHUS, IO. CLERICUS, CAMP. VITRINGA multas voces Ebraeas rariores ope harum linguarum cognatarum explicuerunt. Hos si qui sequi voluerint, consulant lexica polyglotta et harmonica VAL. SCHINDLERI, EDM. CASTELLI, IO. HENR. HOTTINGERI, quae collationem linguarum facilitant. Cautione tamen opus est, uti probe monuit GUSSETIUS in *praef. ad commentar. lingu. ebr. Part. II.*, siquidem cognatae hae linguae laborant suis homonymiis vocesque, si ex gente in gentem transeunt, saepe permutant et suas literas radicales et cum his ipsas vocum significationes.

2) *Contextus* dat *usum biblicum* et tanti est ubique faciendus, ut, instar solis, reliquis subsidiis hic commendatis facem praeferat roburque eximium et lumen afferat. Quod si enim contextus reclamat, omnia ex cognatis linguis et versionibus allata pereunt nullamque fidem merentur. Si vero reliqua cum contextu consentiunt, vera significatio erit in propatulo. Atque hac de causa studia illorum lexicographorum et exegetarum, qui cum FOERSTERO, FRANZIO, FULLERO, FESSELIO et GUSSETIO usum biblicum ex accurata locorum biblicorum collatione demonstrant, Rabbinicis longe anteferenda sunt et in vocum rariorum expositione in consilium adhibenda, quicquid etiam RICH. SIMONIUS obganniat.

3) *Versiones antiquae*, quarum auctores proxime abfuerunt ab illa aetate, ubi Ebraea lingua erat adhuc viva et in consuetudine, non contemnendae sunt; nec tamen iis unice fidendum, cum nulla suis careat vitiis atque naevis. *Chaldaici* Targumim paraphrasin dant, non versionem; *Septuaginta viralis*, ut vulgo dicitur, nec integra prostat, sed interpolata, nec ad fidem codicum V. T. accuratorum confecta fuit; *Latina* maximam partem ad LXX. versionis normam composita videtur, quemadmodum etiam altera *Syriacarum* V. T., *Aethiopica* et *Arabica* justo sunt recentiores; laborum AQUILAE, SYMMACHI, THEODOTIONIS fragmenta tantum supersunt. Conf. IO. GOTTL. CARPZOVII *Critic. sacr. Vet. Test. Part. II. de versionibus codicis hebraei, p. 429. seqq.*

4) Dubia et ἅπαξ λεγόμενα N. Test. facilius explanari possunt, quia plura extant scripta alia praeter Graecum

textum N. Test., unde de significatione eorundem constare potest. Laudanda igitur est opera, quam viri eruditi in collatione scriptorum sacrorum cum profanis posuerunt, RAPHELII, BLACKWALLI, PFOCHENII, OLEARII, ECKARDI et in primis vener. D. GEORGII, collegae mei conjunctissimi. Sed quia viri ϑεόπνευστοι erant gente Judaei illaque aetate, ubi lingua Graeca a sua puritate dudum defecerat, vivebant et scribebant, insuper de aliis et gentilibus plane ignotis doctrinis rudem plebem informare debebant, fieri non potuit, quin voces quasdam alio ac in Graecorum antiquiorum et cultiorum scriptis sensu adhiberent. Confer, quae dixi ad PRITIUM in *Introduct. in lect. N. Test. Cap. XXII.* § *VI. p.* 319. 320., RAMBACHII *Institut. hermeneut. sacr. Lib. II. Cap. VII.* § *XIII. p.* 285.

5) Exempla qui desiderant, adeant auctores supra citatos, maxime BOCHARTUM in *Hierozoico*, VITRINGAM ad *Esa.* III., SCHULTENS in *Origg. Hebraic. et animadv. ad Iobum*, POKOKIUM in *not. ad portam Mosis*, LUDOVICUM DE DIEU etc.

§ V.

Homonymia vocum.

Homonymia excipit etymologiam, quae varias vocum significationes observat, et ad inveniendum sensum earundem famosiorem adducit.

1) De *origine* homonymiae in omnibus linguis usitatae dispiciunt philologi et critici. IO. CLERICUS *Art. Crit. Tom. I. Part. II. Sect. I. Cap. V. p. m.* 175. eam cum ex linguarum inopia, tum ex negligentia scriptorum derivavit; incuriam vero et negligentiam in sacros scriptores ϑεοπνεύστους non cadere, quilibet intelligit; nec inopia linguarum mihi vera et perpetua homonymiae causa videtur, quoniam in illis etiam linguis, quas vocum ditissimas putamus, rara non est. Putarem ego quidem, usum, qui linguarum tyrannus, et consuetudinem popularem homonymias in linguas invexisse; cumque viri etiam doctissimi in vernaculam suam jus non habeant tale, quod aequivoca vocabula penitus tollere posset, saepius ipsis his loquendum est cum vulgo et sentiendum cum eruditis.

2) Peculiaris fons homonymicarum vocum N. Test. est, quod Apostoli, Graece quidem scribentes, tamen de ejusmodi rebus et fidei capitibus agant, quarum notitia antehac nemini Graecorum constiterat; hinc necessitate coacti usitatas quidem voces Graecas usurparunt, iis vero alias et plane insuetas novasque notiones dederunt. Vid. PRITIUS *l. c.* Exempli loco sit vox πίστις, πιστεύειν, πιστός, de fidei in Christum salvifica, toties in Apostolorum literis adhibita, sed antehac Graecis hoc sensu plane ignota, hinc nova, paullo ante inusitata. Similiter judicandum est de vocabulo μεσίτης eo sensu, quo de Christo sponsore accipitur, nec non de vocibus πνεῦμα ἅγιον, παράκλητος, υἱὸς τοῦ Θεοῦ, λόγος etc.

3) Quatuor *species* homonymiae constitui solent, nempe, si qua vox signat 1) rem prorsus diversam, 2) rem similem, sed non eandem, 3) eandem rem, sed mutata relatione, 4) eandem rem, sed non omni ex parte. Vid. CLERICUS *loc. cit.*

4) *Finis*, propter quem variae vocum significationes colliguntur, est, ut de sensu *famosiore* constet, a quo sine necessitate recedendum non est. Unde enim de famosiore hoc significatu constare poterit, nisi antea fiat locorum biblicorum collatio?

5) Facilitarunt collectionem atque collationem variarum significationum sequentes auctores: LEIGHIUS in *Critic. Sacr.*, RAVANELLUS in *Biblioth. Sacr.*, FLACIUS in *Clave S. Scriptur.*, GUSSETIUS in *Commentar. Lingu. Ebr.*, STOCKIUS in *Clave lingu. sanct.*, FORSTERUS in *Lexic. Ebr.*, quibus et alii lexicographi, tam Ebraei quam Graeci, addi poterunt, ut BUXTORFIUS, BUDAEUS, SCHWARZIUS, STEPHANUS, SCAPULA, ROBERTSONIUS etc.

REGULA I.

Homonymiae praeter necessitatem cumulandae non sunt.

1) De aequivocatione Ebraearum vocum multae querelae passim obviant etiam apud hos, qui caetera verbum Dei aestimant atque amant, maxime tamen apud hos, qui profano impetu in sacras literas ruunt easdemque

vel quibusvis scriptoribus profanis aequiparant vel his inferiores atque leviores censent. De *Pontificiorum* accusationibus, de IO. CLERICI et BEN. SPINOZAE criminationibus nunc nihil dicam, sed impii EDELMANNI vituperia, quibus Ebraeam linguam oneravit propter putatitiam aequivocationem, tanta atque tam atrocia sunt, ut prae reliquis omnibus publicam censuram mereantur. Vid. *Glaubens-Bekenntniss fol.* 112. 114. Qui vero animo bono de aequivocatione Ebraearum vocum conquesti sunt, lexicorum inspectione et evolutione nituntur, in quibus non modo diversas, sed subinde etiam contrarias significationes unius vocis deprehendunt, unde ad ambiguitatem concludunt. Nec negamus, in lexicis homonymias vocum saepe praeter omnem rem ita cumulari, ut ignari aliter fere nequeant, quam ut aequivocationis postulent linguam Ebraeam. Cui vitio et criminationi ut obviam eatur, monuimus in regula nostra, praeter necessitatem homonymias non esse cumulandas.

2) Bene mederi eidem naevo lexicographorum voluit SAM. BOHLIUS et PHIL. HARTMANNUS, discipulus BOHLII, Rostochienses, et cujuslibet vocis *formalem significatum* eruendum esse, monuerunt exemplisque praeiverunt; ausu quidem magno, ut ait AUG. PFEIFFERUS in *Critic. sacr. Cap. V. Quaest. III.* § *IV.* *p.* 175., at etiam, si quid judico, non contemnendo, magis tamen expoliendo, uti IAC. GUSSETIUS in *Commentar. lingu. Ebr.* tentavit, nec infeliciter. Caveat modo philologus, 1) ne omnibus ac singulis vocibus formalem vel, si accuratius loqui velis, fundamentalem, proprium, abstractum significatum inesse putet, 2) ne ad tales usque abstractiones prolabatur, quae propter nimiam abstrahendi subtilitatem tandem in obscuram vel nihil significantem ideam abeant, 3) ne obliviscatur, usum et consuetudinem esse tyrannum omnium linguarum deque multis vocum significationibus rationem sufficientem dari non posse nec constare, unde factum sit, ut vox hanc in hac, illam in illa re habeat significationem. Hae cautiones passim negliguntur, unde verendum, ne inventum, quod aequivocationes minuere debuit, alia ex parte in contemtum linguae Ebraeae rapiatur.

3) Exempla plura dedit SAM. BOHLIUS in *dissert. XII. pro formali significatu eruendo in explicatione Scripturae*,

quibus decimam tertiam addidit laudatus HARTMANNUS, deinde AUG. PFEIFFERUS in *Thesaur. hermeneut. p.* 256., GUSSETIUS passim, CLODIUS in *Lexic. voc. rar. Ebr.*, RAMBACHIUS in *Institut. hermen. sacr. Lib. II. Cap. VII. § VI. p.* 271. Diligentissimus et circumspectus inquisitor sensus fundamentalis absque dubio habendus est b. STOCKIUS in *Clave linguae sanctae*, lexico Ebraeo reliquis omnibus, si utilitatem in sacra exegesi consideras, palmam praeripiente. Unum ego repetam vocabulum בָּרַךְ, cui lexicographi varias significationes attribuunt easque non modo diversas, *benedicere, genua flectere, apprecari bona, salutare, valedicere*, sed et contrarias, *imprecari, maledicere.* Usus biblicus confirmat has variationes ideoque tanta varietas in admirationem rapit studiosos linguae Ebraeae. Sed omnis perit admiratio, quam primum observaveris, verbum בָּרַךְ, fundamentali seu formali sensu significare τὸ *genua flectere*, prouti Syriacum *bereck* et Arabicum *baraka* genuflexionem adhuc signat; et quia in omni precatione genua flectere solemus, inde notat *precari* et *apprecari*, quod, si sub aditum fit, *salutare, Gen.* XLVII, 7., si sub abitum, *valedicere, Gen.* XLVII, 10. *Hiob.* I, 11. II, 9. 1. *Reg.* XXI, 10., reddi debet; qui vero vel Deo, vel magistratui valedicit, cui obedientiam et venerationem debet aeternam, is ipsa re *maledicit, Hiob.* II, 9.

REGULA II.

A sensu vocis famosiore sine necessitate recedendum non est.

Haec regula est universalis, ipso sanae rationis dictamine confirmata et ab omnibus, qui artem hermeneuticam tradidere, jam dudum inculcata: *Quaelibet vox stat pro significatu suo famosiore.* Est autem ille significatus *famosior*, qui frequens et ubique obvius est indeque lectoribus omnium primus in mentem venit.

REGULA III.

Quae sit cujuslibet vocis homonymicae in quolibet S. Scripturae loco significatio, ex contextu *et* parallelismo *determinatur.*

1) Utut infra *Cap. IV. de contextu* et *Cap. V. de parallelismo* sumus ex instituto acturi, juvabit tamen hoc loco quaedam praelibare exempla, ut et regulae nostrae et perversae insuper opinioni de aequivocatione vocum insuperabili paucis satisfiat. Patebit enim ex exemplis, illas etiam voces, quae extra contextum consideratae multas admittere significationes videntur, tamen intra contextum non nisi unam eandemque determinatam significationem habere posse.

2) *Contextus* determinat vocum significationes

α) *per antecedentia et consequentia*, cum proxima, tum remota; e. gr. *Rom.* IX, 5. occurrit articulus ὁ in phrasi ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεός, qui et praepositivus et postpositivus esse potest, extra contextum si consideratur, uti patet ex *Io.* I, 18. III, 13. *Apoc.* V, 5. 2. *Cor.* XI, 31. Sed cum PAULUS summam suam tristitiam animique perturbationem de populi Judaici rejectione fuerit testatus in proxime antecedentibus, *v.* 1. 3., et pro hujus populi salute devovere se velle affirmaverit, qui posset δοξολογία, quam Sociniani ex τῷ ὁ ceu articulo praepositivo exsculpere volunt, hic locum invenire?

β) *per scopum scribentis, loquentis, agentis;* e. gr. *Rom.* X, 4. vox τέλος varias admittit significationes; signat enim *praemium* et *mercedem Rom.* VI, 22., *vectigal Rom.* XIII, 7., *terminum* passim et denique *consummationem* rei *Luc.* XXII, 37. 1. *Tim.* I, 5. Sed si scopum PAULI *l. c.* respexeris, determinabis facile, quis horum significatuum tunc obtineat, si Christus dicitur τέλος νόμου. Nimirum Apostolus loquitur de errore Judaeorum circa inveniendam veram justitiam hancque non ex lege venire monet, sed ex Christo, qui est τέλος νόμου, consummatio legis, impletio legis, quippe qui non venit, ut sit finis (τέλος, terminus) legis moralis, qui legem solvat, *Matth.* V, 17., sed ut impleat, loco nostro perfecte consummet. Vid. WOLFII *Cur. Philol. in N. Test. Tom. II. p.* 207. 208.

γ) *per circumstantias rei et historiae;* e. gr. *Ebr.* XII, 17. μετάνοια legitur, quae varios significatus obtinet passim ab exegetis notatos. Vid. FLACII *Clav. Script. f.* 1205., MEISNERI *Philos. sobr. Tom. II. p.* 373. Quia autem loc. cit. PAULUS loquitur de Esavi lacrymis nihil apud patrem proficientibus,

constat apertissime, *μετάνοιαν* esse sensu lato accipiendam de *mutatione voluntatis* frustra apud patrem Isaacum cum lacrymis quaesita, *Gen.* XXVII, 34.
Eodem modo significatio Ebraei עוֹלָם ex rerum, de quibus dicitur, natura et circumstantiis determinari potest; quodsi enim de homine hujusque vita adhibetur, non aeternitatem, sed longam durationem s. aeviternitatem denotat, e. gr. dum mater Samuelis vovet, futurum suum filium debere in tabernaculo servire לְעוֹלָם, 1. *Sam.* I, 22., dum servus domino suo serviturus dicitur לְעוֹלָם, *Exod.* XXI, 6. *Deut.* XV, 17., statim intelligimus, non de aeternitate, se de toto hominis curriculo accipiendum esse, ita ut aequipolleat phrasi, *quam diu vivet.*

δ) *per considerationem affectus loquentis, agentis et scribentis.* E. gr. *Io.* II, 4. appellatio *γύναι*, *mulier*, varie accipitur, potest enim vel honoris vel contemtus vel reprehensionis indicium esse. At enim vero, quam primum ex quaestione illa vehementiore, *τί ἐμοὶ καὶ σοί*, animum IESU loquentis indignabundum intelligis, nullus haerebis, vocem *γυναικός* reprehensionem indicare et eam graviorem. Vid. IO. ADOLPH. LAMPII *Commentar. in Ioann. Tom. I. p.* 501. *seq.*

3) *Parallelismus*, in primis *realis*, subinde ad aequivocationem tollendam et veram significationem determinandam prodest, id quod infra *Cap. V.* docebimus pluribus. Nunc inter se confer duo haec loca, *Luc.* XXI, 15. et *Matth.* X, 10.

REGULA IV.

Variae vocis unius significationes per sensus amplitudinem conciliari possunt.

1) *Amplitudinem sensus* dicimus, ubi plures significationes aeque probabiles et fidei analogiae conformes locum obtinere possunt, quia vel sunt *subordinatae*, ut partes et totum, species et genus; vel *conjunctae*, ut notiones compositae et simplices, diversae inter se quidem, sed in uno subjecto convenientes; vel *mediate intentae*, non immediate neque proxime.

2) Hanc qui amplitudinem recte intelliget et rite applicabit, egregium habebit medium conciliandi multitudinem sententiarum de his et illis locis Scripturae S. ab interpretibus latarum, primo quidem obtutu sibi invicem repugnare visarum, posthac amice conspirantium. Multa enim voluptate animadvertet, diversas opiniones vel per subordinationem vel per conjunctionem vel per mediatam intentionem ita convenire, ut unam eandemque constituant atque efficiant.

§ VI.

De synonymia vocum.

Synonymia est, si duae pluresve voces idem significantes vel in uno eodemque loco vel in parallelo ponuntur.

1) Variae sunt synonymiae appellationes, de quibus videatur VOSSIUS in *Institut. Orator. Lib. V. Cap. II. n. IV. p. m.* 277., quibus addere poteris nomen *ἰσοδυναμίας*, *ἐξεργασίας*, *ἐξηγήσεως* et *ταυτολογίας*.

2) Grammatici non solum sed et rhetorici atque logici de synonymia praecipiunt diversimode pro diversa instituti sui ratione. Ego vero conjungam nunc singula et, quae ad inveniendum et demonstrandum sensum Scripturae circa synonymiam utilia sunt, repetam.

3) Synonymiae biblicae in duas classes dividi possunt: Sunt enim 1) vel in uno eodemque loco S. Scripturae, *Exod.* X, 22. 2. *Petr.* II, 17. 2) vel in locis parallelis, ut *Matth.* XVI, 25. animam *εὑρίσκειν*, *Luc.* IX, 24. *σώζειν* animam, *Io.* XII, 25. *φυλάττειν* animam.

Regulae de synonymia.

REGULA I.

Synonymiae non sunt fingendae.

1) Synonymiae sunt multo rariores, ac vulgo creditur; utut enim verba quaedam videantur unum idemque significare, tamen saepius ex parte quam ex toto aequipollent. Ignorantia multas excogitavit synonymias, quia differentiam vocum perspectam non habe-

bat; inde prudentia opus est, ut ne a lexicographis deludamur vocesque a se invicem omnino distantes pro aequipollentibus habeamus ideo, quod tales vulgo censeantur. Vid. CLERICI *Ars Critic. Tom. I. Part. II. Cap. III. p. m.* 145.

2) Fictarum synonymiarum exempla dabimus pauca. Voces Ebraeae אֱלֹהִים et אֵל sunt quidem nomina aeque divina et verum Deum significantia, hinc suo modo synonyma; sed qui utriusque vocis significatum proprium inspexerit accuratius, statim animadvertet differentiam inter אֵל, fortem et potentem, et inter אֱלֹהִים, quod ab אֱלֹהַּ, domino ac superiore, deducitur et pluralitatem divinarum personarum in una essentia divina respicit, id quod in nomine אֵל hujusque numero singulari nequaquam observatur. Idem judicium erit ferendum de duobus Dei nominibus יְהֹוָה et יָהּ, quae a nonnullis pro aequipollentibus, immo vero etiam pro uno eodemque vocabulo, quorum posterius יָהּ compendium scriptionis sit, habentur. Conjungitur autem יְהֹוָה et יָהּ in uno eodemque loco, *Esa.* XII, 2. XXVI, 4., non sine emphasi neque sine diverso respectu, prout docuit VITRINGA in *Commentar. ad Esa. Tom. I. p. m.* 570. Consimili ratione *Luc.* I, 35. frustra quaeritur synonymia inter πνεῦμα ἅγιον et inter δύναμιν ὑψίστου cum SALMASIO *de transsubstantiat. p.* 365. et IO. MALDONATO, CORNELIO a LAPIDE, siquidem diversum praedicatum dat etiam diversum subjectum; add. b. D. BOERNERI *diss. de Synonym. usu et abusu* (*Lips. A. MDCCXXIII.*), *Sect. II. Can. I. p.* 14. 15. Sic etiam *Act.* IV, 12. occurrunt duae voces ἄλλος et ἕτερος, quae vulgo synonymicae putantur; sed AMMONIUS differentiam h. l. optime quadrantem exposuit: Ἕτερος μὲν ἐπὶ δυοῖν, ἄλλος δὲ ἐπὶ πλειόνων. En tibi emphasin dicti apostolici: In Christo solo nostram salutem esse sperandam Christumque neque unum neque plures socios in opere nostrae redemtionis habere. Porro *Ebr.* II, 1. inter δεῖ et ὀφείλει, quo alibi PAULUS utitur, differentia eximia vulgo negligitur; sed δεῖ, *oportet*, hinc obligationem, ὀφείλει, *debet*, hinc periculum urgens denotat. Adde θεωρέω et βλέπω, οὐ et μή, καινός et νέος, χρόνος et καιρός, αὔριον et ἐπαύριον etc., quas vulgo, sed minus recte, synonymicas voces dicere solent imperiti.

REGULA II.

Quia in sacris literis nullae synonymiae otiosae existunt, ejus causae ubique diligenter sunt investigandae.

1) Sacris scriptoribus non modo res sed et verba in actu *θεοπνευστίας* suggesta fuere; igitur fieri non potuit, ut otiosi aliquid proferrent, sed in singulis verbis adest ratio, propter quam sapientissimus Spiritus ea scribere jusserit. *Matth.* x, 19.

2) Adhibentur vero synonymae voces in sacris literis

α) *interpretationis causa*, unde et *ἐπεξηγητικαί* appellantur vel interpretativae; e. gr. 1. *Cor.* III, 1. Corinthios alloquitur Apostolus synonymicis vocabulis, *ὡς σαρκικοῖς, ὡς νηπίοις ἐν Χριστῷ*; ratio est in promtu, nempe vox *σαρκικός* erat aequivoca et auribus Corinthiorum adhuc insueta; hinc Apostolus synonymiam, quam alii *interpretamentum* (Vid. FLACIUS in *Clave, Tom. II. p.* 218.) nominant, addit suamque mentem clarius exponit. Add. *Esa.* I, 22. 23.

β) *emphaseos causa*, ad plenius describendam et quasi ad vivum depingendam rem quandam; e. gr. *Exod.* x, 22. tenebrae illae in Aegypto dicuntur חֹשֶׁךְ אֲפֵלָה, tenebrae caliginis, i. e., profundissimae, horrendae, quibus densiores cogitari non possunt. Consimilis synonymia est *ζόφος τοῦ σκότους*, 2. *Petr.* II, 17. Adde *Ier.* XLVIII, 29., ubi superbiae vitium sexies notatur et vocibus aequipollentibus significatur ad exprimendum summum et incredibilem Moabitarum fastum.

γ) *affectus indicandi causa.* Constat enim, quod quorundam affectuum haec sit natura, ut synonymias cumulent et uno quasi ore effundant, ut est affectus *amoris, irae* etc. Exempla videsis *Ier.* II, 34. *Esth.* VIII, 5. *Io.* I, 20. *Rom.* IX, 1.

§ VII.

De emphasi vocum.

Denique in singulis vocibus observanda est *emphasis*, quae est illa vocis efficacia et vis, quae rem cum circumstantiis suis uno quasi obtutu repraesentat sensumque praegnantem suppeditat.

Etymologicus significatus ἐμφάσεως.

1) Originem suam vox *emphasis* trahit a Graeco ἐμφαίνειν, *repraesentare* vel rem quandam ita describere, ut velut appareat et in oculos incurrat. Unde non incommode per *vivam rei repraesentationem* exprimitur, siquidem una vox, cui emphasis inesse dicitur, totum rei cujusdam ambitum delineat et ante oculos quasi ponit.

Existentia emphasium.

2) Etsi negari nequeat, ab incautis quasdam voces pro emphaticis haberi, quibus singulare quid non inest, tamen omnes ideo negare emphases, non modo sophisticatio esset, sed et sententia in θεοπνευστίαν injuria, quippe quae tam res quam verba immediate suggessit sapientissime electa, hinc, ut divina, in suo ambitu et amplitudine semper consideranda et accipienda. Vid. RAMBACHII *Institut. hermeneut. sacr. Lib. II. Cap. VIII.* § *III. p.* 319., DEYLINGII *Observ. S. Part. V. num. XIV. pag.* 205.

Divisio emphasium S. Scripturae.

3) Emphases dispesci solent in *verbales* et *reales*. Reales sunt, quae in rebus harumque descriptione observantur, e. gr. *Esa.* II, 4. V, 3. XI, 6. 1. *Reg.* XII, 10. Sed de his infra dabitur dicendi locus. Nunc de verbalibus, et quidem de his, quae in vocabulis seorsim consideratis observantur, agam et, cum amplissimus sit campus, in quo emphasium fontes inveniri possunt, dabo operam, ut, quoad fieri potest, in compendio viam modumque detegendi emphases exhibeam. De *grammaticis* autem loquar harumque criteriis, non de *criticis* nec de *logicis*, quippe de his suo loco disserendum olim erit.

§ VIII.

De criteriis emphasium in vocibus.

Criteria emphasium in vocabulis Ebraeis et Graecis observandarum multa quidem sunt; dabimus vero praecipua haec sequentia:

I) *In nomine*,

α) *si nomen abstractum ponitur pro concreto*; e. gr. *Eph.* V, 8. PAULUS caecitatem spiritualem, qua Ephesiorum oculi ante conversionem obfuscati tenebantur, delineaturus eos *σκότος* vocat, non *ἐσκοτισμένους* tantum, sed ipsas *tenebras*, ut doceret, ne minimam verae lucis particulam, sed totalem rerum divinarum ignorantiam regnasse in iis, priusquam ad felicissimam lucis communionem pervenerint et *φῶς ἐν Κυρίῳ*, *lux* ipsa, fuerint facti, h. e., ad summam rerum divinarum cognitionem, quae in homines cadere hoc in aevo potest, pertigerint. *Io.* XVII, 17. verbum Dei non *ἀληθές*, sed *ἀλήθεια* ipsa in abstracto nominatur, ut indicetur, ne minimum apicem S. Scripturae erroneum esse, sed hanc totam, quanta quanta est, veritati esse consentaneam, ita ut nihil nisi veritatem, *ἀλήθειαν*, contineat; add. *Io.* XI, 25., ubi Christus se *ἀνάστασιν* et *ζωήν* vocavit; *Rom.* I, 16., ubi evangelium non modo *δυνατόν* sed ipsa *δύναμις*, et quidem *τοῦ Θεοῦ*, in abstracto appellatur non sine singulari emphasi.

β) *quando pronomen suo nomini statim subjungitur*: *Apoc.* II, 17.: *Τῷ νικῶντι δώσω αὐτῷ φαγεῖν ἀπὸ τοῦ μάννα* etc. Simile obviat *v.* 7. et *Apoc.* VI, 4. Qui cum VORSTIO Ebraismum hic suspicantur, a WOLFIO in *Cur. philol. ad. h. l.* merito sunt notati, siquidem politissimi Graeci scriptores eadem pronominis ad nomen suum adjectione usi sunt, nec sine emphasi. Inculcatur enim, cui soli ista felicitas promittatur, nempe *τῷ νικῶντι*, *vincenti*, *αὐτῷ*, et *huic quidem* ipsi certissime, verissime. Vid. *Phil.* I, 22. *Matth.* XII, 16.

γ) *quando nominativus Ebraei pronominis personalis postponitur eidem pronomini suffixo*. *Gen.* XXVII, 34. Esavus jacturam primogeniturae deplorans ad patrem suum dicit: בָּרֲכֵנִי גַם־אָנִי, *benedic etiam mihi*; ego, h. e., mihi benedic etiam, mihi inquam, qui te tantis lacrymis et gemitibus tantoque luctu imploro. Sic etiam *Zach.* VII, 5. Deus jejunia Judaeorum detestatus interrogat tandem: צַמְתֻּנִי אָנִי, *num jejunastis mihi*, EGO, h. e., mihi inquam; quo ipso Deus graviter imperat, ut Judaei suam excutiant conscientiam ipsique disquirant, num jejunia propter Deum, an alias propter causas observaverint.

δ) *quando duo substantiva synonyma conjunguntur;* exempla dedimus § *VI. Reg. II. lit. β. p.* 115. Add. DANZII *Int. Ebr. Cap. I.* § *XVIII. p.* 23.

ε) *quando nomen conjugatum vel cognatum verbo suo additur;* e. gr. *Gen.* XXVII, 33. de Isaaco refertur, quod יֶּחֱרַד חֲרָדָה גְּדוֹלָה, *tremuerit tremore magno*, tanto nimirum horrore et tremore, ut nihil nisi tremor esse videretur, h. e., ut omnia et singula membra tremore vehementissimo corrumperentur. Add. *Gen.* I, 11. XXVII, 3.

ζ) *quando nomini proprio additur pronomen vel* ה *demonstrativum praeponitur vel articulus Graecorum praepositivus repetitur.* Nominibus propriis Ebraeorum ה demonstrativum ordinarie non praemittitur, quod si vero eis praemissum obviat, singularis ratio adesse debet: *Deut.* III, 13. 2. *Sam.* XXIV, 16. *Dan.* VI, 6. Sic etiam in N. Test. pronomen οὗτος nomini proprio Melchisedechi praemissum legitur *Ebr.* VII, 1.: Οὗτος γὰρ ὁ Μελχισεδέκ, βασιλεὺς Σαλήμ, non absque emphasi. Etiam repetitio articuli praepositivi in verbis Iesu, ἐγώ εἰμι ὁ ποιμὴν ὁ καλός (*Io.* X, 11. 12.) multam emphasin habet nomenque τοῦ ποιμένος, quod caetera appellativum est, h. l. in propriam mutat Messiae appellationem et prisca illa de pastore magno vaticinia respicit. Hunc trahi etiam poterunt verba accusatorum PAULI, *Act.* XIX, 26., ὁ Παῦλος οὗτος πείσας etc., ubi pronomen nomini proprio postpositum videtur indignationem atque contemtum innuere.

II) *In particulis,*

α) *quando* ה *demonstrativum et articulus praepositivus* ὁ, ἡ, τό *vel voci cuidam singulari vel in re singulari praemittitur.* *Esa.* VII, 14. paritura dicitur הָעַלְמָה, *illa virgo*, quam propheta digito quasi monstrat tanquam personam singularem, dudum notam atque omni mentis cura suspiciendam; quia in re plane singulari et miraculosa adhibetur ה demonstrativum. *Io.* I, 14. legitur: Ὁ λόγος σάρξ ἐγένετο, et emphasis est in articulo praepositivo, quia incarnatio τοῦ λόγου, qui est Deus (*v.* 1.) et creator rerum omnium (*v.* 3.), res singularissima est.

β) *quando adverbium vel sibi ipsi vel alii synonymo jungitur*, ut *Gen.* VII, 19.: *Et aquae hae invaluerunt* מְאֹד מְאֹד, *valde valde*, h. e., sensim sensimque atque ita, ut tandem essent altissimae, nempe per continuationem et distributionem. Vid. DANZIUS in *Int. Ebr. Chald.* § *CXXXI. p.* 134., GLASSIUS in *philol. sacr. Lib. III. Tract. V. Can. II. p.* 940. 941.

γ) *quando particulae dubitativae non rei incertitudinem, sed difficultatem indicant.* His enim summa rei difficultas, quae fere in incertitudinem abiret, exprimitur. *Ion.* II, 6. 2. *Sam.* XII, 22. *Ios.* XIV, 12. Vid. GLASSIUS *l. c. p.* 1004., DANZIUS *l. c.* § *CL. p.* 176.

δ) *quando particulae* הִנֵּה, הֵן (quocum imperativus רְאֵה, *Deut.* I, 8. *Gen.* XXVII, 17., congruit) *voci praemittuntur;* per hunc enim indicem excitatur animus interpretis ad melius et studiosius rimandum id, quod voce hac significatur.

ε) *quando particulae interrogativae vel admirationem vel indignationem indicant;* nam qui ex indignatione vel ex admiratione in quaestionem prorumpit, hac ipsa sua quaestione vehementiam admirationis vel indignationis prodit. *Ps.* XCIV, 9. 20. 2. *Sam.* VII, 5. 1. *Reg.* I, 11.

ζ) *particulae conjunctivae pronominibus praemissae valde intendunt. Gen.* XXVII, 34. Esavus summum dolorem cordisque anxietatem patri suo aperit his verbis, בָּרֲכֵנִי גַם־אָנִי אָבִי, *benedic mihi,* ETIAM *mihi, mi pater;* ubi non solum ex pronomine personali, quod suffixo subjungitur, אָנִי, *ego*, sed etiam ex conjunctione גַּם emphatica agnoscitur descriptio animi perculsi atque prostrati. *Gen.* IV, 21.

III) *In verbis,*

a) *quando id, quod verbo affirmativo enuntiari poterat, verbo negativo exprimitur et contra. Levit.* X, 1. ignis iste profanus, quem Aaronis filii in sanctum intulerant, nominatur cum emphasi ignis, אֲשֶׁר לֹא צִוָּה אֹתָם, *quem non praeceperat ipsis.* Add. *Hiob* II, 6. *Esa.* XLII, 3. Sic etiam *Luc.* XIV, 26. vox *μισεῖ* usurpatur pro *plus amare.* Vid. STOCKII *Interpr. Graec. Cap. IV.* § 84. *p.* 79.

β) *quando verbum nude positum simul denotat actus expressi qualitatem, affectum, debitum, continuationem* etc. *Hos.* XIV, 10. *Io.* VIII, 47. *Mal.* I, 6. 1. *Reg.* I, 25. etc. Plura loca dabunt GLASSIUS in *phil. sacr. Lib. III. Tract. III. Can. IV. p.* 758. *seqq.*, RAMBACHIUS *Institut. hermeneut. sacr. Lib. II. Cap. VIII.* § *VIII. p.* 328.

γ) *quando verbo suo cognato nomen jungitur; Gen.* II, 17.: *Morte moriemini; Matth.* II, 10.: Ἐχάρησαν χαρὰν μεγάλην σφόδρα.

IV) *In genere nominum et verborum,*

α) *si adjectivum non respondet generi substantivi sui. Gen.* XLIX, 15. Isaschar vidit מְנֻחָה, *quietem*, quod טוֹב, *bonus*, i. e., summum suum bonum reputabit quietem. *Luc.* I, 35. potuisset Evangelista masculino genere uti propter υἱὸς Θεοῦ, sed utitur genere neutro, τὸ γεννώμενον ἅγιον κληθήσεται υἱὸς Θεοῦ, sine dubio respiciens totam τοῦ Θεανθρώπου personam.

β) *si verbi Ebraei terminatio non respondet generi nominis. Ezech.* XXXIII, 26. de viris adhibetur terminatio generis feminini עֲשִׂיתֶן, *fecistis*, quo euphemismo horrendum scelus aeterna oblivione dignum indicatur.

V) *In gradibus comparationis,*

α) *quando superlativus denuo movetur per comparativum. Eph.* III, 8. ἐλαχιστότερον πάντων τῶν ἁγίων sese nominat PAULUS, ut summam suam humilitatem per hanc insuetam extenuationem indicaret.

β) *quando superlativus ponitur pro comparativo* et vice versa. 1. *Io.* IV, 19. *Deus nos* πρῶτος *dilexit*, hoc est, *omnium prior.* Vid. *Io.* I, 15. 30. *Matth.* XI, 11.

γ) *quando superlativus per nomina Dei exprimitur. Psalm.* CIV, 16. *cedri Dei*, i. e., altissimae ac inter altissimas altissima arbor. *Ion.* III, 3. *civitas Dei*, hoc est, valde magna et ampla, immo vero etiam amplissima et maxima. *Act.* VII, 20. de Mose dicitur, quod fuerit ἀστεῖος τῷ Θεῷ, *pulcher Deo*, venustissimus, praeter ordinem formosissimus. 2. *Cor.* X, 4. arma Christianorum spiritualia describuntur ut δυνατὰ τῷ Θεῷ, valde potentia et virtute divina validissima.

VI) *In numero,*

a) *quando numerus singularis ponitur pro plurali per collectionem;* e. gr. in sacris literis saepissime de angelis malis in numero singulari, σατανᾶς, διάβολος, sermo est, collective quidem, ita tamen, ut simul summa totius catervae infernalis consensio in malo conspiciatur.

β) *quando verbum plurale jungitur nomini singulari et vice versa.* *Gen.* I, 1. non sine emphasi nec absque mysterio vocabulum אֱלֹהִים cum verbo singulari בָּרָא construitur. *Gen.* XLI, 57. narratur, omnem terram venisse in Aegyptum, כָּל־הָאָרֶץ בָּאוּ, omnis terra *venerunt*, i. e., catervatim venerunt incolae omnis terrae habitabilis. *Ier.* II, 15. עָרָיו נִצְּתָה, *urbes ejus succisa est*, h. e., omnes urbes, ac si una essent urbs, pari crudelitate delevit atque vastavit.

VII) *In verborum temporibus horumque enallagis,*

a) *quando tempus verbi non videtur cum re, de qua adhibetur, convenire;* e. gr. *Io.* X, 16., καὶ ἄλλα πρόβατα ἔχω, loquitur IESUS in praesenti tempore, ἔχω, *habeo*, non *habebo*, de conversione gentilium tunc temporis adhuc futura non sine emphasi singulari. *Matth.* XXVIII, 20. de futura sua in terris praesentia IESUS loquitur in praesenti, ἐγὼ μεθ' ὑμῶν εἰμί, *sum*, non solum *ero*, multa cum emphasi et potestate.

β) *quando tempora ἀόριστα seu indefinita adhibentur.* Apud Graecos enim aoristus subinde actum continuum denotat, qui posthac emphasin sensumque praegnantem gignit, ut *Gal.* V, 24. ἐσταύρωσαν indicat, fideles carnem suam non modo crucifixisse in praeterito, sed et nunc crucifigere in praesenti esseque crucifixuros porro et in futuro tempore. Dubium illud, quod ex *Io.* II, 20. contra auctoritatem et veritatem historiae N. T. ab Antiscripturariis affertur, consimili modo solvitur plenissime; nam de templo intra decennium ab Herode Magno restaurato atque exornato recte dicitur, quod ᾠκοδομήθη, aedificatum fuerit, et ad illud usque tempus, quo haec verba a Judaeis apud IOANNEM *l. c.* prolata fuere, adhuc aedificaretur, per

quadraginta sex annos, prouti pluribus demonstravi in not. ad PRITII *Introd. in lect. N. T. Cap. XXXII. § V. p.* 419. 420.

γ) *quando enallage temporum fit.* Exempla dedit GLASSIUS in *Philolog. sacr. Lib. III. Tract. III. Can. XLVI. XLVII. seqq. p. m.* 879. *seq.*, quae repetere nolumus. Cautio erit tamen adhibenda, ne in omni enallage statim quaeratur emphasis, siquidem idiotismi alias cum emphasibus facile confunderentur. In specie observandum est, quod, si prophetae *praesens* vel *praeteritum pro futuro* adhibuisse videntur, ad visionem propheticam sit recurrendum et tenendum, quod illae res, quae ut praesentes a prophetis describuntur, ipsis sint in visione exhibitae atque repraesentatae. E. gr. ESAIAS *Cap.* VII, 14. virginem illam gravidam filiumque natum et nomen Immanuelis eidem impositum oculis animi cernit indeque tanta fiducia tantaque mentis πληροφορίᾳ vaticinatur, ut de nativitate Immanuelis tanquam jam facta videatur loqui.

VIII) *In figuris grammaticis:*

Rectissime annotavit b. VAL. ERN. LOESCHERUS, omnes anomalias in sacro textu obvias indices emphasium esse, orthographicas nempe, etymologicas, syntacticas, accentuatorias etc. Vid. *Breviarium theol. exeget. Part. III. Sect. I. Cap. II. § II. p. m.* 161. Fieri enim non potuit, ut viri θεόπνευστοι tales anomalias, quales sunt figurae grammaticae pleraeque, sine gravi causa adhiberent. Plura vero de his figuris grammaticis tradidit GLASSIUS in *Philol. sacr. Lib. IV. Tract. II. p.* 1197., DANZIUS in *Literator. Ebr. Cap. VIII. p.* 465. et in *Interpret. Ebr. Cap. V. p.* 344., STOCKIUS in *Interpret. Graec. Cap. IX. p.* 320. *seqq.*, BLACKWALLUS in *Critic. sacr. N. T. Tom. I. Part. I. Cap. II. § III. seq. p. m.* 58., RAMBACHIUS in *Hermeneut. sacr. Lib. II. Cap. VIII. § XI. p.* 340., unde exempla huc pertinentia repeti poterunt.

IX) *In tropis et figuris rhetoricis:*

Non male de his monuit RAMBACHIUS *Institut. hermeneut. sacr. Lib. II. Cap. VIII. § XIV. p.* 349., *innumeros* dari emphasium fontes rhetoricos; putarem

autem ego, in tropis et figuris rhetoricis sedulo distinguenda esse illa, quae ornatus causa, ab his, quae emphaseos causa dicuntur. Etsi enim in omni figurata voce lateat ornatus, emphasin tamen eidem simul semper inesse, vix probari poterit. Dabimus autem de his figuris et tropis plura *Cap. VIII.*

§ IX.

Quid in phrasibus S. Scripturae sit considerandum.

Posteaquam interpres sacer singulas voces sibi cognitas reddidit, progreditur ad *phrasium explicationem*, in qua simili fere modo et ordine, ut in vocibus juxta § II., operatur et

1) *de etymologica vocum compositione*, quam σύνταξιν, constructionem, vocant,

2) *de homonymia*,

3) *de synonymia*,

4) *de emphasi*

accurate dispicit.

§ X.

Etymologia phrasium.

Quemadmodum in vocibus etymologia respicit originationem et compositionem, sic etiam in phrasibus considerare docet compositionem vel constructionem.

Quae de constructione, quam σύνταξιν et σύνθεσιν Graeci grammatici appellant, in genere observanda sunt, in primis de regulari et irregulari, exposuit VOSSIUS *Lib. VII. de arte grammatica. Cap. I.* Ego vero futurum exegetam informaturus nunc syntaxeos Graecae et Ebraeae regulas repetere nequeo, sed harum notitiam grammaticis tradendam relinquo satisque habeo, si paucas regulas generales in explicatione locorum difficiliorum utilissimas adduxero easque interpreti sacro probe applicandas commendavero.

§ XI.

Regulae.

Regulae in etymologica phrasium consideratione diligenter et ubique observanlae sunt sequentes:

REGULA I.

De idiotismis.

Quaelibet phrasis est juxta idiotismum linguae suae exponenda.

1) Etenim in phrasibus non id, quod vi vocum harumque conjunctionis significare possunt, sed id, quod significare solent, verum sensum subministrat. Usus autem dat idiotismos, quorum ratio et causa saepissime latet, interdum constat. Hinc vanum est studium, omnium et singulorum idiotismorum causas investigare, etsi quorundam origo doceri posset; est enim usus linguarum magister et tyrannus.

2) Consulendi sunt, qui de idiotismis Ebraeae linguae, ut MICHAELIS, HEUPELIUS, ARIAS MONTANUS, DANZIUS, BREITINGERUS etc., et de idiotismis Graecae linguae, ut BUDAEUS, STEPHANUS, VIGERIUS etc., prolixe disseruerunt, quum vel ex instituto de idiotismis vel etiam in genere de linguae Ebraeae et Graecae indole et phraseologia nec non de syntaxi commentarentur. In primis ego quidem commendarem studiosis linguae Ebraeae, ut MART. GEIERI scripta et commentarios diligentissime evolverent; huic enim viro summo quis in idiotismorum Ebraeorum evolutione anteferri possit, nemo facile invenietur.

REGULA II.

De proverbiis.

Subinde occurrunt in S. Scriptura phrases proverbiales, quae ex vulgato atque consueto sensu et pro ratione contextus sunt explicandae.

1) *Proverbia* sunt sententiae usu tritae, saepius tropicae, subinde aequivocae, hinc variis rebus et casibus applicabiles. Ab Ebraeis nominantur מְשָׁלִים, quod, si a מָשַׁל derivatur, sententiam in sermone regnantem atque dominantem significat, interdum etiam similitudinem et parabolam. Graeci pari modo nominant κυρίαν γνώμην (observante FLACIO et GLASSIO) nec non παροιμίαν a trivio seu vulgato in triviis usu. Regnant in ore omnium, vulgi et sapientum, ac ideo regnant, quia experientia fere quotidiana confirmantur et usu crebriore inculcantur. Hinc erit vix unus et alter scriptor, qui proverbia non haberet; ipsique sacri scriptores ea suis in scriptis afferunt et exegetis in eorum sensum inquirendi dant occasionem. Quorum studia facilitabunt scriptores de proverbiis Ebraeorum et Graecorum ex instituto commentati, DRUSIUS in *proverb.*, BUXTORFIUS in *florilegio Ebraico*, AND. SCHOTTUS in *adagiis* N. Test., PLANTAVITIUS in *adagiis* V. T. et N. T., ne quid de ERASMO, de DELRIONE, de ZEHNERO, de allis superaddam.

2) Circa proverbia ab interprete sacro diligenter observandum est, certum et constantem sensum ea non habere, sed aequivocum et variis rebus casibusque applicabilem; quare, ut de certo sensu hujus et illius loci constet, consulendus est contextus hujusque ope sensus proverbii determinandus. Nequaquam enim valet argumentatio a significatione proverbii in hoc loco ad ejusdem significationem in alio Scripturae loco; e. gr. *Matth.* XX, 16. occurrit proverbium, *primi erunt ultimi*, ubi *primi*, qui postremi futuri, dicuntur Apostoli superbi fastuque Petrino tumentes; sed *Luc.* XIII, 30. idem proverbium repetitur et ad conversionem Judaeorum atque gentilium applicatur, ita ut h. l. *primi*, qui postremi futuri, sint Judaei gratiam divinam contemturi. Ut itaque exegeta rite in explicatione proverbiorum versetur, praestabit, ordine justo incedere, ita ut 1) quem sensum habere *possit* proverbium per significationem verborum grammaticam, 2) quem sensum habere *soleat* in usu, 3) quem hoc in loco habere *debeat* per reliqua media hermeneutica determinandum, ostendat. Hoc enim modo nihil, quod ad proverbialem phrasin spectat, omittetur sensusque cujusque loci determinari poterit.

3) Seriem atque catalogum proverbiorum et proverbialium phrasium S. Scripturae dedit GLASSIUS in *philol. sacr. Lib. V. Tract. I. Cap. XXI. p. m.* 1970., ZEHNERUS in *adag. sacr.*, unde exempla huc pertinentia poterunt repeti.

De hyperbolicis phrasibus.

4) *Hyperbolicae* illae phrases, quae nonnullis in Scriptura sacra sunt offensioni, haud raro sunt proverbiales, rem nequaquam ultra quam fas erat exaggerantes, sed phrasi vulgata describentes ideoque vulgato sensu accipiendae atque explicandae. Rem exemplo illustrabo, ut constet, LOESCHERI et GERDESII opinionem de hyperbolis ex Sacra Scriptura eliminandis omni fundamento non destitui. Si quis Latine cladem summam ita descripserit, ut *ne nuntium quidem cladis superfuisse* dixerit, an vera loquitur? Quidni? Sed hyperbolice loquitur? Nequaquam, sed proverbialiter. Inest proverbio, fateor, aliquid, quod hyperbolicum videtur, sed re ipsa non est, quia quisque, qui proverbium audit, statim intelligit, ultra quam fas erat non exaggerari cladem, sed summam internecionem dicterio illo proverbiali indicari eodemque veritatem absque exaggeratione comprehendi. Simile judicium de multis locis S. Scripturae, quibus GLASSIUS, FLACIUS, alii multi hyperbolas inesse putarunt, erit ferendum. Sunt proverbiales phrases, quae rem absque exaggeratione, sed ex vulgato loquendi usu describunt, quibus etiamnum utimur absque exaggerationis suspicione, absque veritatis laesione; e. gr.: Quae de divitiis Salomonis 2. *Chron.* I, 15. referuntur, *quod auri et argenti copiam fecerit tantam, quantam lapidum*, proverbialem locutionem continent, quae nihil aliud quam summam opulentiam civium Judaeorum exprimunt, quam verissimam et certissimam fuisse, nemo negare potest; hyperbole itaque nulla adest, quae rem praeter fas exaggerat; nec opus est, ut cum b. LOESCHERO in *Breviar. theol. exeget. Part. I. Cap. III.* § *XIV. p.* 69. a propria et famosiore significatione *τοῦ* אֶבֶן recedamus huicque non lapidis, sed massae cujusdam gravioris significatum tribuamus. Simili modo equidem explicarem id, quod de *liberatione ex ore leonis* legitur 2. *Tim.* IV, 17., quam nonnulli de liberatione Pauli ad leones damnati

accipiunt. Esse enim hanc phrasin proverbialem ex *Ps.* XXII, 22. *Siracid.* LI, 4. variisque locis profanorum scriptorum confirmari potest; cumque sacra historia nihil de hac in Paulum lata sententia crudeli tradat, satius mihi videtur esse, ut de gravissimo vitae periculo verba accipiantur, quod in captivitate Romana subiit Apostolus. Vid. WOLFII *Cur. philol. in N. Test. ad h. l.* Adde, si placet, *Exod.* XI, 7. 1. *Sam.* XXV, 22. 34. *Prov.* XXVI, 17. *Act.* IX, 5. etc.

REGULA III.

De epithetis.

In phrasibus biblicis diligenter annotanda sunt epitheta, *quae sunt vel* exegetica *vel* diacritica *vel* exegetico-diacritica *seu utrumque complexa.*

Quemadmodum epitheta vel in adjectivis vel in adverbiis consistunt, sic ad haec summopere attendendum est, ut sensus Scripturae Sacrae et plenius et rectius explicari possit. Dispescimus autem epitheta in has tres classes, ut sint

1) *exegetica*, quae rei naturam spectant et uberius explanant; sic *χάρις*, quae omni mundo apparuit, vocatur *σωτήριος*, *Tit.* II, 11., non diacritice, quasi existeret etiam gratia, quae salutaris non esset, sed exegetice, quod omnis gratia in promovenda hominum salute sit occupata.

2) *diacritica*, quae rem a re discernunt et separant; e. gr., si noster Sospitator nominatur *ὁ μονογενὴς υἱός*, *Io.* I, 18. III, 16., discernitur filius Dei naturalis ab aliis, qui etiam filii Dei appellantur. Si angeli boni vocantur *πνεύματα λειτουργικά*, *Ebr.* I, 14., discernuntur ab aliis, qui non inservire, sed nocere solent hominibus.

3) *exegetico-diacritica*, quae et rei naturam simul et rei a re differentiam respiciunt. Christus nominatur Θεός cum epitheto *ἀληθινός* 1. *Io.* V, 20., *οὗτός ἐστιν ὁ ἀληθινὸς Θεός*; latet autem in epitheto *ἀληθινός* tam distinctio a *θεοῖς λεγομένοις*, 1. *Cor.* VIII, 5., quam expositio

verae divinae naturae, *Io.* XVII, 3. Sic etiam ζωὴ αἰώνιος nominatur idem eodem modo, ut et aeternitas vitae, quam IESUS dat, exponatur et differentia hujus, quae in Christo est, a caduca vita indicetur.

REGULA IV.

De connexionibus.

In phrasibus accurate expendendae sunt connexiones.

Equidem de connexione plura dicam *Lib. III. Cap. IV.* § *VI.;* nunc sufficit observasse, quod connexiones, quas habent phrases inter se, a me h. l. respiciantur maxime. Fiunt autem diversis modis, quos omnes ac singulos accurate expendere debet interpres sacer. Frequentissima phrasium copulatio fit per *particulas*, quae vel causam vel comparationem vel conditionem vel conjunctionem etc. indicant. Hinc opus est, ut exegeta de particulis Graecae et Ebraeae linguae sit plene instructus eaque, quae NOLDIUS et DEVARIUS de his optime collegerunt, probe teneat; alias facillime a vero abludet. Unum expendamus *Vav* Ebraeorum, quo mediante tot phrases in Ebraeo textu copulantur, sed diversissimis modis et significatibus, ita ut ab hac connectendi ratione multa pars difficultatum pendeat. Quid itaque magis opus erit, quam ut interpres particularum usum sibi cognitum reddat. Porro fieri solet copulatio phrasium per *participia*, in primis apud Graecos, quare ad haec diligenter attendendum est, ne forte conjungenda divellantur. E. gr. Christus imperat *Matth.* XXVIII, 19. discipulis, πορευθέντες μαθητεύσατε, ut proficiscantur *et* discipulos faciant, quod postremum Anabaptistae in suas partes rapiunt indeque neminem nisi prius institutum de religione baptizandum esse concludunt; sed cum statim sequatur participium βαπτίζοντες αὐτούς, quod cum verbo μαθητεύσατε grammatice cohaeret, perit strophe ista Anabaptistarum, siquidem per ipsum baptismum vel, *dum baptizant* (βαπτίζοντες), discipulos facere jubentur Apostoli. Restant alii modi connectendi phrases inter se a grammaticis passim expositi et ab interprete sacro adsidue ponderandi, nunc vero pluribus non tangendi.

§ XII.

Homonymia phrasium.

Homonymia in phrasibus haud rara est, siquidem non modo pro varietate constructionis verba variam obtinent significationem, sed et manente interdum eadem constructione diversam significationem, vel manente eadem significatione diversam constructionem habent.

Tres constituo classes homonymiae in phrasibus obviae, quarum *prima* est, quod verba pro varietate constructionis variam nanciscantur significationem; e. gr. vox Ebraea שָׁמַע, *audivit*, simplicem soni perceptionem significat, sed si cum sequenti praefixo בְּ et לְ vel cum voce קוֹל cum praefixo בְּ vel לְ construitur, notat *obtemperavit, obedivit.* Plura exempla videsis in DANNHAVERI *Idea boni interpretis p.* 79. *seqq. Secunda* est, quod manente eadem constructione diversam significationem accipiant phrases. Uno erimus contenti exemplo a CLERICO in *Art. Critic. Part. II. Sect. I. Cap. XII. p. m.* 265. allato et ex constructione duorum substantivorum, quorum alterum est in genitivo, desumto. Hac enim constructione duorum substantivorum plerasque relationes exprimimus, at enim vero, quot, quaeso, et quam diversae sunt relationes? Relatio totius ad partem, partis ad totum, partis ad partem, subjecti ad accidens, causae efficientis ad effectum, effectus ad causam etc., quas relationes omnes una eademque semper manente constructione significare solemus. *Tertia* est, quod diversae constructiones subinde eandem retineant significationem; constat enim, quod unum verbum diversos casus regere soleat in omnibus fere linguis manente eadem significatione, cujus rei exemplum habemus in verbo ψεύσασθαι, *Act.* V, 3. 4., quod et cum accusativo et cum dativo construitur nequaquam variante, ut volunt SOCINIANI et ARMINIANI, sed manente eadem significatione. Vid. GERHARDI *Commentar. in Act. apost. ad h. l. pag.* 135., vener. D. WINCKLERI *Hypomnem. phil. et crit. p.* 145. Si quis vero hanc ter-

tiam classem non tam ad homonymias, quam potius ad nudas variationes referre maluerit, repugnantem me non habebit; existimarem tamen, commode etiam huc referri eam potuisse.

§ XIII.

Regulae in homonymiae explicatione observandae sunt eaedem, quas § V. dedimus, quae mutatis mutandis huc erunt repetendae.

§ XIV.

Synonymia phrasium.

Quemadmodum in vocibus, sic etiam in phrasibus *synonymiae* interdum obviant, quae simili ratione, ut § *VI. p.* 115. *Reg. II.* docui, considerandae sunt, nimirum ut ostendatur, adhibitas eas fuisse vel *interpretationis* vel *emphaseos* vel *affectus* causa.

1) Tres itaque constituo causas phrasium synonymicarum in sacro codice adhibitarum nunc seorsim, nunc conjunctim proferendas, siquidem singulae tres aut saltem harum duae in uno eodemque loco stare simul possunt et solent.

2) Phrases synonymicae adhibentur

a) *interpretationis* causa et dicuntur ἐπεξηγητικαί, quia id, quod obscurius ante dictum fuerat, clariore modo repetunt eoque ipso explicant. *Exod.* XII, 2. praecipit Deus: *Mensis iste* (quo Israëlitae ex Aegypto migrarunt et pascha celebrarunt) *vobis principium mensium*; quae sequuntur verba (*primus erit in mensibus anni*), exegeseos causa superadduntur, ut intelligatur, quid per רֹאשׁ חֳדָשִׁים, caput mensium, significare voluerit Deus; poterat enim רֹאשׁ et *primum* et *praecipuum* pro diverso respectu vel ad

ordinem vel ad dignitatem significare, sed hanc ambiguitatem tollit adjecta synonymica phrasis.

β) *emphaseos* causa frequentissima est in sacris phrasibus synonymia. *Gen.* XLII, 2. Iacobus filios suos ad maturandum iter in Aegyptum hortatur, ut ibidem frumentum emant, his verbis: *Ut vivamus nec moriamur.* Posterior phrasis priori quidem aequipollet; qui enim in vivis manet, non moritur. Sed augere debuit vim verborum et praesentissimum mortis periculum, quod alio modo declinari nequeat, indicat atque filiis ante oculos ponit. Simili modo accipienda sunt verba IESU *Io.* III, 16.: *Ut omnis, qui crediderit in eum, ne pereat, sed vitam aeternam habeat.* Certissime enim et necessario perirent homines, nisi Deus eorum misertus dedisset filium suum unigenitum. *Luc.* XVIII, 34. tribus phrasibus synonymicis exprimitur ignorantia discipulorum Christi, prima, *καὶ αὐτοὶ οὐδὲν τούτων συνῆκαν*, secunda, *καὶ ἦν τὸ ῥῆμα τοῦτο κεκρυμμένον ἀπ' αὐτῶν*, tertia, *καὶ οὐκ ἐγίνωσκον τὰ λεγόμενα*; qua synonymia summa et spississima stupiditas ignorantiaque in spiritualibus oculis lectorum repraesentatur summa cum emphasi.

γ) *affectus* causa; sunt enim quidam hominum affectus, qui copiam verborum et creberrimam unius rei repetitionem suggerunt, ut amor, ira, gaudium etc. *Gen.* XXXI, 27. Laban iratus cumulat phrases aequipollentes generum suum graviter reprehendens. Sic etiam *Deut.* XXXII, 5. Deus iram suam, IESUS autem *Io.* XIV, 13. 14. amorem suum per synonymicas phrases declaravit. Et quid sibi aliud volunt crebrae illae obtestationes atque repetitiones in piorum precibus, *Ps.* V, 2. 3. VI, 10. XVII, 1. 2. etc., quam ut affectum tristitiae, quacum conflictantur, et ardorem precum suarum significent?

§ XV.

Regulae de synonymicis phrasibus ex iis, quae supra § *VI. Reg. I. et II.* de vocibus synonymicis data fuere, mutatis mutandis huc denuo referri atque repeti poterunt.

§ XVI.

Emphases phrasium.

Emphases supra § VII. descriptae occurrunt etiam in phrasibus, hoc magis ab exegeta eruendae, quo majorem earundem expositio dat utilitatem in sensu S. Scripturae declarando.

Quae contra emphases vocum disputari solent, antea § *VII. n.* 2. discussimus; simili modo vindicanda etiam est existentia emphasium in phrasibus ex *θεοπνευστίᾳ*, quae se non modo ad res, sed et ad verba extendit. Vid. DEYLINGII *Observ. Sacr. Part. V. n.* 14. *p.* 205., RAMBACHII *Institut. Hermen. Sacr. Lib. II. Cap. VIII.* § *XVII. p.* 359. 360.

§ XVII.

Criteria emphasium in phrasibus S. Scripturae observandarum dabo nonnulla, cum, omnia et singula paucis complecti, sit impossibile. Observetur itaque, emphasin adesse

I) *In nominum constructione*,

α) *si nomen cum plurali nominis sui construitur*; e. gr. Canaan vocatur עֶבֶד עֲבָדִים (*servus servorum*) ad indicandam servitutem Canaanis abjectissimam, summam atque miserrimam, *Gen.* IX, 25. E contrario, si Christus *rex regum* nominatur, excellentissimum ejus imperium atque regnum, quod omni et quocunque regno altius atque sublimius, oculis lectorum sistitur.

β) *si nomina synonymica copulantur*; exempla repete ex § *XIII. n.* 2.

γ) *si idem nomen bis vel ter repetitur immediate*, ut *sanctus, sanctus, sanctus*, *Esa.* VI, 3., et *terra, terra, terra*, *Ier.* XXII, 29. Ut enim in priore loco mysterium, sic in posteriore summa indignatio ac vehementia emphatice innuitur.

II) *In particularum conjunctione,*

α) *si adverbium repetitur immediate*; e. gr. *Exod. XXIII*, 30. legitur bis מְעַט מְעַט, quod ad verbum esset *parum, parum*, SEB. SCHMIDIUS etiam in versione *paulatim, paulatim ejiciam* etc., sed LUTHERUS *einzeln nach einander* reddidit, IUNIUS *paulatim*. Non sine causa singulari repetitur *paulatim*, siquidem Deus in hoc vaticinio modum exponere voluit et tempus, quo Cananaeos ex Palaestina pellere velit, nempe non uno impetu neque uno temporis momento, sed sensim sensimque, quam interpretationem experientia confirmavit. Hinc verba essent hoc forsitan modo vertenda: *Paulatim, paulatim, inquam, ejiciam* etc.

β) *si negativa particula repetitur vel ipsa vel in vocula aequipollenti.* Graecae particulae *οὐ μή* conjunctae pondus negationi addunt, *Matth.* V, 18. 20. 26. *Io.* VI, 37. *Matth.* XVIII, 3. 1. *Cor.* XV, 50.

γ) *si asseverandi particula repetitur vel ipsa vel in voce synonymica.* Huc pertinet geminatum illud, *ἀμὴν ἀμήν*, quo Sospitator noster toties in N. Test. usus est; cui etsi jurisjurandi vim inesse non credam, gravissimam tamen dat assertionem, et quidem in ore IESU, qui veritas ipsa est.

III) *In verborum constructione singulari,*

α) *si verbum construitur cum suo vel nomine vel infinitivo derivato.* Iacobus filii obitum plangens, Iosephi nempe, dicit, טָרֹף טֹרַף יוֹסֵף, *discerpendo discerptus est Iosephus, Gen.* XXXVII, 33. IUNIUS quidem animadvertit, emphasin phrasi inesse ideoque in versione verba reddidit, *omnino discerptus est Iosephus*; sed majorem vim quam nudae asseverationis ei inesse putarem, quod nimirum *crudelissime discerptus a bestia sanguinolenta* habeatur Iosephus. Divina illa comminatio, *morte moriemini, Gen.* II, 17., singularem emphasin continet omneque illud malum tristissimum, quod lapsus generi humano peperit in morte naturali, spirituali et aeterna graphice exhibet.

β) *si duo vel plura verba copulanda absque conjunctione expressa adsunt:* Deus Ionae praecepit, קוּם לֵךְ, *surge, abi*, omissa copula ו; *Ion.* I, 2. Esaias imperat eccle-

siae verae, קוּמִי אוֹרִי, *surge, illuminare,* non absque emphasi studium et festinationem indicante; *Esa.* LX, 1.

IV) *In ordine anomalico verborum phrasin constituentium:*

De synchysi S. Scripturae.

Obviant in nonnullis locis S. Scripturae phrases, in quibus consuetus construendi verbaque ordinandi modus vel turbatus vel neglectus esse videtur. Haec loca anomala praetextu *synchyseos* excusare figuraeque rhetoricae veste palliare nec non *hyperbaton* dicere voluerunt quidam satis pio quidem conatu, sed minus felici, cum synchyses vix vitio carere queant. Ego quidem anomaliam in his phrasibus agnosco nequaquam vitiosam nec ex negligentia neque ignorantia scriptorum derivandam, sed data opera adhibitam emphaseos causa. *Solent,* inquit BLACKWALLUS, *hujusmodi conturbatae et insuaves, ut videntur, constructiones, res, quae describuntur, convenientiore saepius sono et* SIGNIFICANTIUS *legentium proponere oculis. Auctor. Classic. Sacr. Tom. I. Part. I. Cap. II. § V. p. m.* 72. MATTHAEUS *Cap.* XII, 22. narrat, Christum mutum et caecum sanasse, servato ordine verborum singulari et anomalico, ὥστε τὸν τυφλὸν καὶ κωφὸν καὶ λαλεῖν καὶ βλέπειν, cum conjungere potuisset τὸν τυφλὸν βλέπειν et τὸν κωφὸν λαλεῖν; sed ut multitudinem aeque ac praestantiam miraculi exaggeraret, cumulavit non modo verba eaque per repetitum καί copulavit, sed et τὸ λαλεῖν ut difficilius praeposuit τῷ βλέπειν: id quod etiam ab aliis Graecis scriptoribus factum fuisse, BLACKWALLUS ostendit. Add. *Marc.* VI, 16. *Io.* I, 14. 1. *Cor.* XV, 2. 1. *Io.* II, 27. Ordine naturali et communi nomina Θεανθρώπου ita locantur, ut IESUS praecedat, CHRISTUS sequatur, Ἰησοῦς Χριστός; interdum vero Χριστός praemittitur, saepissime non sine emphasi, non sine singulari respectu ad officium Christi mediatorium nomine Christi significatum. Vid. 1. *Tim.* I, 15. II, 6. *Eph.* II, 13. Conf. b. WOKENII *Pietas Critic. Part. II.*

V) *In figuris syntactico-grammaticis:*

α) *Pleonasmus*, non vitiosus nec otiosus ille, qui in humanis scriptis saepe obviat et in vitium abit, sed qui ex intentione divina sermoni et virtutem et ornatum conciliat; facit enim, *ut notiones in mente altius sedeant infixae; in primisque res magni momenti, quae tractantur, majore ornat virtute ac majestate*, recte monente BLACKWALLO *Auct. Class. Sacr. Tom. I. Part. I. Cap. II § IV.* In divinis literis nihil otiose dicitur, nihil frustra scribitur, ne minimus quidem apex. Quantam emphasin, quaeso, innuit pleonasmus iste Ioannis: *Confessus est et non negavit et confessus est; Io.* I, 20. Confidentia enim Ioannis baptistae in edenda coram summis viris confessione de Messia et modestia nec non sinceritas ipsius egregie delineatur. Sic etiam verba summi Dei, *contendite, cum matre vestra contendite, Hos.* II, 2., indicant vehementiam, quacum contendere jubentur iterum iterumque et acriter. Et dum propheta *revertimini, revertimini, Ezech.* XXXIII, 11., populo acclamat, nonne emphatice necessitatem conversionis inculcat? Plura loca biblica dabit GLASSIUS in *Philol. Sacr. Lib. IV. Tr. II. Observ. XIV. XV. p. m.* 1232. *seq.*, BLACKWALLUS *l. c.* Unum nunc addo exemplum ex *Phil.* I, 23., *πολλῷ μᾶλλον κρεῖσσον*, quod Vulgata ad verbum exprimit, *multo magis melius*, ut summa mortis prae hac vita praestantia declaretur.

β) *Ellipsis*, quarum magnus quidem est numerus, sed nulla in divinis literis absque ratione adhibita. *Sicut enim nihil otiose in verbo Dei redundat*, inquit RAMBACHIUS, *ita nihil etiam sine gravi ratione deesse credimus. Lib. II. Inst. Hermen. Cap. VIII. § XI. p.* 342. Exempla dabit GLASSIUS *l. c. p.* 1198., HILLERUS in *Syntagm. Sacr. p.* 368., BLACKWALLUS *l. c. p.* 256. 401.

γ) *Metalepsis*, quae brevitatis ergo duas notiones una voce et phrasi comprehendit et nonnunquam ideo *synthesis* seu compositio vocatur; e. gr. (*Esa.* XIV, 17.) vinctos suos non solvebat בָּיְתָה, *domum*, h. e., vinctos suos vinculis ita non liberabat, ut domum reverti possent; nempe in plenam libertatem, quam antea habuerunt, non restituit. *Ps.* LXVIII, 19. de Messia dicitur, לָקַחְתָּ מַתָּנוֹת בָּאָדָם, *accepisti dona inter homines*,

scilicet distribuenda, quemadmodum ipse PAULUS verba exposuit, *et dedit dona hominibus*, *Ephes.* IV, 8. Christus enim acceperat haec dona, ut hominibus ea denuo largiretur. Add. *Matth.* IV, 5. *Luc.* XXI, 38.

δ) *Hypallage*, si de uno dicitur, quod de altero est intelligendum. *Jud.* I, 8. refertur, *urbem missam esse in ignem;* urbs non potuit mitti neque conjici in ignem, sed ignis missus et conjectus est in urbem: quod si vero dicitur, urbem fuisse in ignem missam, indicatur emphatice, totam urbem stetisse in flammis igneque plane consumtam fuisse atque deletam. Iesabel dicitur, *oculos suos posuisse in fuco*, 2. *Reg.* IX, 30., cum tamen fucus fuerit oculis superinductus; sed indicatur hac phrasi emphatica, Iesabelem summo studio sese exornasse vultumque totum fuco adeo obduxisse, ut totus videretur fuco quasi impressus. Sic etiam *Matth.* VIII, 3. *lepra dicitur purificata*, cum tamen leprosus fuerit purificatus a lepra; nempe per emphasin, quia antea leprosus adeo infectus lepra, ut ipsa lepra (abstractum pro concreto) esse videretur: inde augetur miraculi magnitudo. IO. IOACH. WEIDNERUS hanc quidem hypallagen explodere voluit dissertatione, quam nominat *hypallagen explosam ex historia leprosi*, *Matth.* VIII, 3., contendens, vocem καθαρίζειν non per *purificare*, sed per *purum declarare* esse reddendam, unde et Graeca verba εὐθέως ἐκαθαρίσθη αὐτοῦ ἡ λέπρα reddere voluit, et *statim pura declarata est lepra ejus.* Sed b. vir non animadvertit, in hac sua ipsius versione hypallagen extare, lepra enim est et manet impura nec potest munda declarari, sed homo lepra infectus sublato morbo declaratur purus: ergo est et manet hypallage adjuncti pro subjecto.

VI) *In figuris rhetoricis.*

De his plura dabimus *L. III. Cap. VIII.* Etenim *exclamationes*, *interrogationes*, *prosopopoeias*, *aposiopeses* etc. absque emphasi sermonis nullibi adhiberi, facile intelligitur.

LIBRI III.

CAPUT QUARTUM

DE

CONSIDERATIONE CONTEXTUS.

---

§ I.

Quid per contextum intelligi debeat.

Vocibus et phrasibus S. Scripturae accurate cognitis interpres ad *contextus considerationem* progreditur et seriem rerum a sacris scriptoribus prolatarum harumque inter se connexionem diligenter ponderat.

1) *Contextum* itaque dicimus seriem rerum a scriptore allatarum harumque inter se habitudinem, relationem, connexionem. Latiore itaque sensu, ac vulgo fieri solet, vocabulum contextus accipimus, siquidem haec rerum inter se habitudo non modo συνάφειαν seu cohaerentiam textus cum antecedentibus et consequentibus, sed et alia omnia, quae eam circumstant et ad eam habent relationem, includit, ut § II. monstrabit.

2) Usus ex consideratione contextus expectandus est omnino summus, id quod FRANZIUS in excellenti opere de *interpretatione S. Scripturae* egregie exposuit atque CLII. exemplis selectioribus confirmavit. Magnus quondam SAL. GLASSIUS sequens de hoc opere tulit judicium: *Ego sane nullum tempus felicius et fructuosius (praesens negotium quod spectat) collocasse me, palam profiteor, quam quod in diligenti integri libri illius lectione et relectione cum timore Domini insumsi. Deus viro tanto pro tam salubri labore hic et in aeternum benedicat. Lib. II. Part. II. p. m.* 494. Tanti viri judicium plures deberet lectores FRANZIANO operi con-

ciliare, ac plerumque habere solet. Contextus consideratio hanc maxime praestat utilitatem, ut sensum verborum et phrasium determinet atque sic interpretem ad inveniendum Scripturae *sensum determinatum* ideoque certum adducat. Cum enim pleraeque voces et phrases extra contextum evolutae varias admittere significationes possint, contextus postea docet, quis praecise hujus et illius loci sit et esse debeat sensus unus isque determinatus atque certus, proprius an improprius. Hinc opus non est, ut in commendando et laudando hoc medio exegetico prolixiores simus.

§ II.

In contextu consideramus

1) *antecedentia et consequentia*,
2) *scopum*,
3) *circumstantias*,
4) *affectum*.

§ III.

De antecedentibus et consequentibus.

Per *antecedentia* et *consequentia* intelliguntur verba sacrorum scriptorum, quae vel proxime vel paullo remotius illam, de qua disquiritur, vocem et phrasin comitantur, et ita quidem, ut vel antecedant in prioribus vel sequantur in posterioribus.

§ IV.

Divisio in angustiorem et latiorem connexionem.

Sumuntur autem haec vel sensu *angustiore* vel *latiore*, prouti scilicet verba explicanda vel cum propioribus vel cum remotioribus scriptorum sacrorum verbis cohaerent.

Si ad eruendum sensum sufficit, proxime vel praecedentia vel sequentia commata perlegisse, cohaerentiam vocamus *angustiorem;* quod si vero ad remotiora usque commata vel recurrendum vel progrediendum est, ita ut vel integra capita vel totum librum ab exordio repetere teneatur interpres, connexionem antecedentium dicimus *latiorem* vel remotiorem. Addunt alii *latissimam*, quae vero commodius ad libri *scopum* generalem videtur referri posse.

§ V.

Divisio in realem et verbalem connexionem.

Connexio *angustior* est vel *verbalis*, quae fit per conjunctiones grammatice sic dictas, vel *realis*, quae ex propositionum habitudine inter se et relatione intelligitur.

1) *Verbalis* connexio fit per varias conjunctionum species, ut

copulativas,
disjunctivas,
adversativas,
comparativas,
concessivas,
conditionales,
exceptivas,
causales,
conclusivas,
continuativas.

2) *Realis* connexio latet in rebus et ex relatione vel habitudine, quam propositiones et res inter se habent, dijudicari debet. Nonnulli etiam *logicam* dicunt, quia a judicio logico pendet. Occupatur in investigatione nexus, qualis sit inter antecedentia et consequentia, an scilicet *thesis* et assertio nunc posita *argumentis* vel probetur vel illustretur vel vindicetur vel inculcetur, an minus; porro, an thesin nunc positam alia *nova thesis* sequatur et qualem cum priore habeat relationem et idearum cohaerentiam; et quae sunt reli-

qua a me in *institutionibus oratoriae sacrae Cap. II. Sect. III.* § 14. *seqq.*, ubi de analysi logica pericoparum sacrarum ex instituto disserui, prolixius exposita. Vid. *infra Cap. IX.* hujus *Libr. III.*

§ VI.

Regulae.

Quae ab interprete sacro in consideratione antecedentium et consequentium sunt observanda, sequentibus regulis includam.

REGULA I.

Antecedentium et consequentium consideratio in nullius loci Scripturae S. explicatione est omittenda.

Quemadmodum nihil facilius fieri potest, quam ut verbis extra συνάφειαν acceptis sensus, quem auctor plane non intenderat, fingatur, quia plures sunt plerarumque vocum et phrasium significationes possibiles: sic etiam nullo certiore medio detorsioni huic occurri potest, quam per συναφείας textus considerationem, a qua, ut antea monui, *sensus verborum determinatus* pendet. Antecedentia enim et consequentia docent apertissime, quae cujusque vocis et phraseos sit et necessario esse debeat in quoque loco significatio; unde etiam *clavis exegeseos* S. haud immerito nominatur. Prima statim verba Scripturae, *in principio creavit Deus,* אֱלֹהִים, *coelum et terram,* varios habere posse sensus, dubio caret, quia per vocabulum אֱלֹהִים, extra contextum si consideratur, et *angeli* et *dii gentilium* et *Deus* verus, porro Deus *trinunus,* etiam *principes terrae* intelligi possunt. At enim vero, quam primum verba in connexione consideras, non modo praedicatum, creare coelum et terram, ostendit ad oculum, de angelis, de diis gentilium, de principibus mundi cogitandum non esse, sed et consequentia, toties in historia creationis subsequenti al-

lata, וַיֹּאמֶר יְהוָה, praecise determinant sensum vocabuli, de quo disquirebatur, hocque non nisi Deum *verum* eundemque *trinunum* significare, invictissime demonstrant. Idem judicium ferendum est de aliis Scripturae locis ab heterodoxis passim ad suos errores translatis, quorum vindiciae per antecedentium et consequentium collationem felicissime et brevissime institui solent, ut fit in theologia polemica.

REGULA II.

In consideratione antecedentium et consequentium properare, nefas esto eidemque potius immorari ac diutius inhaerere, utile erit interpreti.

1) Utar verbis b. FRANZII: *Magna est differentia inter peregrinantes et inter inhabitantes, quorum illi cum festinatione de loco in locum discurrunt adeoque obiter in via aspiciunt hinc inde suos pagos et suas urbes, obiter cum hominibus colloquuntur, breviter dormiunt, vix necessariis cibis sese recreant, quia semper properant versus patriam. Inhabitantes autem toti sunt addicti suae patriae; hic emunt agros et hortos et silvas, hic ducunt uxores, hic exercent artificia manuaria, hic de re oeconomica, quantum fieri potest, sibi prospiciunt, hic immoriuntur. Simili modo pro venando genuino intellectu integri prophetae, integrae epistolae apostolicae, integri cujuscunque libri sacri in exercitio antecedentium et consequentium pium interpretem non decet versari obiter, breviter, perfunctorie, somnolenter, quasi peregrinum in peregrinis locis, sed diligentissime quasi inhabitare, incubare et vel immori.* Nec ulteriore confirmatione nec exemplis opus erit, siquidem quilibet fatebitur, eruitionem istius, per quod sensus verborum debet determinari et ad liquidum deduci, attentissima mentis deliberatione esse peragendam.

2) Nostra aetate commentarii nonnulli prostant, qui in demonstranda cohaerentia rerum et verborum in sacris literis operam posuerunt laude dignissimam, ut sunt SEB. SCHMIDII, sollicitissimi indagatoris connexionis, cuilibet capiti biblico praemissi et in sin-

gulis fere versibus studiose confirmati; LAURENTII in *Analys. Epist. Paulin.*, CHRIST. STARKII in *Synopsi Biblioth. exeget. Vet. Test. et N. Test.*, SAL. VAN TILLII in *opere analyt.*, nec non ALPHENII, vener. BAUMGARTENII etc., quibus interpres ita uti poterit, ut memor praecepti Paulini, πάντα δοκιμάζετε, judicii proprii vim exserere, nunquam desistat.

REGULA III.

A connexione angustiore et propiore ad latiorem et remotiorem redeundum non est, nisi singularis cogat ratio.

1) Opponimus hoc vanae illorum consuetudini, qui absque necessitate ad remotiora antecedentia regrediuntur sibique honori ducunt, si etiam pro sacris rostris in explicando textu sacro rem, ut putant, ab ovo ordiri et omnia, quae in antecedentibus legebantur, repetere possunt, etsi ad determinationem sensus verborum, de quo quaestio erat, nihil plane conferant. Memini exegetae, qui oraculum Malachiae de Elia venturo, *Mal.* IV, 5., expositurus contenta totius capitis I., II. et III. Malachiae recensebat, qua tamen recensione supersedere potuisset maximam partem, quia repetitio eorum (quod si etiam longius retrogredi voluisset), quae *Cap. III.* commemorantur, ejus instituto atque fini satisfecisset.

2) Interdum prodest omnino, ut ab angustiore et propiore ad remotiorem connexionem cum antecendentibus et consequentibus procedat exegeta; si nimirum angustior aliqualem, sed minus plenam neque perfectam lucem verbis dubiis affert: tunc enim ratio prostat sufficiens, quam propter ad latiora et remotiora vel retrogrediamur vel progrediamur, ut plene et perfecte sensum scriptoris sacri detegamus. Exemplo sit quaestio de *operariis in vinea*, *Matth.* XX, 1. *seqq.*, quos alii putant Christianos quoscunque, alii gentiles suis quosque periodis ad religionem veram vocandos, alii doctores ecclesiae, alii alios. In dijudicanda hac quaestione *angustior* connexio aliqualem omnino dabit lucem, quia operarii a vinea distinguuntur; vineam esse ecclesiam Christi, est apud omnes

in confesso; vinea vero constat vitibus, uti ecclesia membris, h. e., Christianis: ergo, qui per operarios volunt omnes Christianos intelligere, vineam confundunt cum operariis in vinea. Sed si paullo longius fueris progressus et latiorem seu remotiorem connexionem ex *Matth.* XIX, 27. repetieris, plenam habebis lucem et perfectam quaestionis decisionem: Petrus enim quaerit de futura retributione, non omnium promiscue Christianorum, sed praecise *Apostolorum et doctorum ecclesiae, qui omnia propter Christum dimiserant et perdiderant;* cumque IESUS ad hanc Petri quaestionem in parabola de operariis in vinea respondeat, certissimum est, parabolam in imagine operariorum non omnes promiscue Christianos neque Gentiles convertendos, sed doctores ecclesiae, qui vineam Domini colunt inque ea laborant vel plus vel minus, vel gravius vel levius, nobis exhibere. Conf. *Lib. I. Cap. III. § VII. Reg. I. p.* 40. 41.

REGULA IV.

Ex connexione reali sunt particulae connectendi tam supplendae, si desunt, quam explicandae, si adsunt.

1) Loca quaedam S. Scripturae tradunt theses suas absque connexione verbali, ita tamen, ut veritates iisdem contentae realem inter se habeant relationem. In his *supplendae* sunt particulae connexionum pro materia substrata, ut explicatio fiat clarior et intellectu facilior. Adhortatio illa, 1. *Io.* III, 13.: Μὴ θαυμάζετε, ἀδελφοί μου, εἰ μισεῖ ὑμᾶς ὁ κόσμος, nullam habet connexionem verbalem cum antecedentibus; indeque SEB. SCHMIDIUS in *Commentar. ad. h. l.*, hujus versus cohaerentiam non esse facilem, judicat idque ex diversis interpretum, ESTII, HUNNII, sententiis de hac connexione confirmat, siquidem alii cum antecedentibus, alii cum consequentibus comma hoc connectere, denique alii parenthesi includere volunt. SCHMIDIUS ad consequentia, ego vero cum HUNNIO ad antecedentia referendam eam esse judico indeque particulam conclusivam, *igitur*, *ergo*, supplendam, et quidem ex relatione manifesta, quam hoc monitum apostolicum de odio mundi habet cum iis, quae de odio Caini erga

fratrem, *v.* 12., fuerant scripta. In sequenti *v.* 14. obviant denuo duae propositiones absque connexione verbali; supplenda itaque est ex mutua earundem relatione, quae est adversativa particula *sed*, quia altera alteri opponitur propositioni.

2) In quibusdam locis S. Scripturae verbalis connexio adest, sed si de hujus significatione dubium movetur, ad connexionem realem omnium optime provocatur, ut ex hac solutio petatur. Exempli causa afferam oraculum istud divinum, *Gen.* VIII, 21., ubi Deus promittit post diluvium, *se terrae amplius non esse maledicturum*, כִּי, *quia figmentum cordis humani malum est a pueritia.* En tibi particulam connectendi, כִּי, quod LUTHERUS pro causali, *denn*, accepit, quocum etiam plurimi faciunt interpretes. Sed si duas propositiones per particulam כִּי connexas accuratius ponderaveris qua relationem, quam habent inter se, facile intelliges, causalem hoc loco esse non posse, quia Deus justus ideo hominibus, *quia* semper pessimi sunt, parcere non potest. Constat vero, particulam כִּי praeter causalem alias quoque habere significationes, e. gr. concessivam, interrogativam etc. Ex quibus concessivam, *etsi*, *licet*, *Exod.* V, 11. XIII, 17. XXXIV, 9. *Jos.* XVII, 13. *Psalm.* XXV, 11. esse hujus loci, connexio realis docet, ut sensus sit verborum, Deum terrae non amplius ita uti in diluvio universali esse maledicturum, *etsi figmentum cordis humani sit semper malum.* Add. *Matth.* XXV, 35. Ejusmodi explicatio maxime omnium necessaria erit in particula Ebraea praefixa, in τῷ ו, cujus verus sensus aliunde quam ex connexione reali sumi nequit. Vid. DANZIUS in *Interpret. Ebr. Chald. p.* 188., COCCEIUS in *Lexic. sub* ו.

REGULA V.

Si quod comma proxime cum antecedenti non connexum obviat, vel digressio *vel* parenthesis *ab auctore sacro fuit facta.*

1) E. gr. *Ebr.* III, 7. legitur particula διό, quae cum proxime sequentibus versibus, *v.* 8. 9. 10. 11., non cohaeret, sed cum *v.* 12. βλέπετε: inde recte concluditur, Paulum, qui digressiones amavit, occasione

dicti, ad quod *v.* 7. provocaverat, ab illa, quam τὸ διό incipiebat, admonitione paullisper digressum esse ac quaedam necessaria prius quam ipsam admonitionem attulisse. Sic etiam *Rom.* I, 1. cum *v.* 7. cohaeret variis interjectis parenthesibus et brevioribus digressionibus, quas majoris perspicuitatis gratia inseruit Apostolus. In prophetis tales excursus (διέξοδοι) paullo durius ab ORIGINE notati etiam occurrunt, in quibus prophetae, dum ante oculos habent objectum aliquod futuri tunc temporis, illud deserunt et ad homines sui aut proximi temporis convertuntur. Conf. VITRINGA in *Typo Doctrin. Prophet. p.* 182.

2) Cavendum autem est, ne ejusmodi digressiones vel inutiles vel male dispositas putemus; quantam enim utilitatem digressio in oratione cum ad perspicuitatem, tum ad occupandam et vitandam verborum iniquam detorsionem conferat, constat inter peritiores. Nec est fere aliud medium, quo omni ambiguitati facilius occurri posset, quam digressio et parenthesis. Hinc, si sacri scriptores vel per digressionem vel per parentheses loquuntur, re quidem ipsa summam judicii vim exserunt suamque doctrinam ab omni depravatione, pariter et ab ambiguitate et obscuritate, liberant.

REGULA VI.

Divisio librorum biblicorum in capita ab HUGONE DE S. CARO *introducta in investigatione connexionis cum antecedentibus et consequentibus saepe fallit interpretes; hinc non nisi caute admittenda est.*

Ratio, in qua haec regula innititur, repeti potest ex *Lib. II. Cap. II. Sect. II.* § *IV. p.* 79. et § *VII. Reg. IV. p.* 85. Praestat vestigiis VITRINGAE insistere, qui in Esaiae interpretatione egregie ostendit, quomodo non ad capitum, sed ad sermonum propheticorum contenta et initium et finis orationis cujusque investigari possit ac debeat. Doctissimus vir enim recte observat, prophetarum conciones vel *titulis* iis praescriptis vel solo *argumento* distingui. Quae titulos prae se ferunt, facile a caeteris distin-

guuntur. Sed quae argumento solo distinguuntur, horum difficilior est discretio ab aliis, quia rerum et materiarum magna est affinitas. Existimat, totum Esaiae librum in viginti quinque conciones dividi debere; cum autem ab HUGONE in capita sex et sexaginta fuerit discretus, patet, interpretem falli, si initium propheticae concionis ab initio capitis juxta HUGONEM derivare vellet. Idem judicium de caeteris libris biblicis ferendum est.

§ VII.

De investigatione scopi. — Definitio scopi.

Postquam de antecedentibus et consequentibus constabit, via patebit ad inveniendum *scopum*, qui est thema primarium vel dicti vel pericopae vel totius libri cujusdam, quod sibi sacer scriptor sumsit tractandum et ad quod singula orationis membra vel directe vel indirecte respectum suum habent.

Scopus est meta, ad quam collimamus; hinc, si de scopo scriptoris loquimur, per metaphoram indicamus intentionem dicentis et agentis, ex qua finis ratio intelligitur, cur orationis partes hoc et illo modo fuerint dispositae atque his et illis verbis enuntiatae. Patet ex hac scopi descriptione, quam necessaria sit ejus investigatio, cum tantam utilitatem interpreti praestare possit, ut de singulis sermonis partibus et de verbis singulis rationem reddere eorundemque finem indicare queat. Inde RAMBACHIUS *l. c. p.* 146. non sine causa taxavit AUGUST. PFEIFERUM, quod vix unam paginam huic argumento destinaverit in suo *Thesauro hermeneutico p.* 395. et *p.* 419.

§ VIII.

Divisio scopi.

Est autem scopus triplex, 1) *generalis*, qui est totius libri S. Scripturae, 2) *specialis*, qui est vel

libri vel pericopae cujusdam, 3) *specialissimus*, qui est singulorum commatum, circumstantiarum, phrasium et vocum.

§ IX.

Scopus S. Scripturae generalis quis?

Generalis scopus S. Scripturae est IESUS CHRISTUS, redemtor generis humani, siquidem pleraque in sacris literis de CHRISTO, reliqua propter CHRISTUM et propter salutem per CHRISTUM partam revelata et scripta prostant.

1) Antiqui Graecae ecclesiae doctores Christum dixerunt *σκόπον σκοπιμώτατον* Scripturae; alii vocarunt nucleum Scripturae, alii A et Ω Scripturae, alii aliis nominibus suam mentem nobiscum consentientem declararunt. Quotquot enim librum V. Test. et N. Test. debita pietate et mentis cura perlegunt, facile animadvertunt, in totam Scripturam quadrare, quod IOANNES de suo evangelio scripsit: *Ταῦτα δὲ γέγραπται, ἵνα πιστεύσητε, ὅτι ὁ Ἰησοῦς ἐστιν ὁ Χριστός, ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, καὶ ἵνα πιστεύσοντες ζωὴν ἔχητε ἐν τῷ ὀνόματι αὐτοῦ.* *Io.* XX, 31.

2) Probatur hoc:

I) *Ex generalioribus clarissimis dictis N. T.* Sic ipse Christus testatur, Mosen de se scripsisse, *Io.* V, 46., omnesque *τὰς γραφάς* V. Test. de se testari, *v.* 39., quemadmodum etiam Philippus Iesum idcirco nominant eum, *ὃν ἔγραψε Μωσῆς ἐν τῷ νόμῳ, καὶ οἱ προφῆται; Io.* I, 46. Iesus cum discipulis Emaunticis loquens in Mose et tota Scriptura suam et passionem et gloriam fuisse dudum praedictam, apertissime docebat, *Luc.* XXIV, 25. 26. 27. Nonne de Iesu et de remissione peccatorum per Iesum parta testantur omnes prophetae? *Act.* X, 43. Nonne omnes prophetae inde a Samuele, *ὅσοι ἐλάλησαν*, prophetizarunt *τὰς ἡμέρας ταύτας*, hoc est, novi foederis felicitatem? *Act.* III, 24. Nonne omnes prophetae de illa, quae nobis in Christo parta est, gratia et salute vaticinati

sunt? 1. *Petr.* I, 10. Nonne justitiam fidei in Christo partam nobis praedixerunt prophetae? *Rom.* III, 21. Quin immo, verissimum et generale est effatum PAULI: *Iesus Christus heri et hodie isque et in saecula*; *Ebr.* XIII, 8. Et PAULUS asseverat, se nihil affirmare et docere, ἐκτὸς ὧν τε οἱ προφῆται ἐλάλησαν μελλόντων γίνεσθαι καὶ Μωσῆς; *Act.* XXVI, 22. Dum Apollo Alexandrinus evincit contra Judaeos ex Scripturis, ἐπιδεικνὺς διὰ τῶν γραφῶν, quod Iesus sit Christus, ipsa re ostendit, Christi demonstrationem atque descriptionem esse scopum Mosis atque prophetarum. *Act.* XVIII, 28.

II) *Ex specialiore locorum Vet. Test. allegatione in N. Test. facta.* Ipse Iesus et Apostoli ubique et copiosissime suam doctrinam testimoniis V. T. confirmant suaque fata in iisdem praedicta esse, ubique asserunt, verba prophetarum ipsa allegant et vaticiniorum impletionem urgent. *Ecce venio*, inquit Messias, *in volumine libri scriptum est de me.* *Ps.* XL, 8. Qui posset itaque negari, Christum esse scopum primario in tota S. Scriptura intentum?

III) *Ex inductione locorum V. Test., quae de Christo aperte et literaliter agunt*, quorum prolixum catalogum dedit VITRINGA in *typo doctrin. prophetic. pag.* 116—121., ENTICK in *Tr. de V. R. C. ex vaticiniis demonstr.* aliique doctores ecclesiae, qui totam Christologiam testimoniis Mosis et prophetarum partim in suis locis et systematibus theologicis, partim in peculiaribus scriptis confirmatam dederunt et Christianae religionis veritatem ex consensu cum patriarchali et Mosaica demonstrarunt.

IV) *Ex consensu Judaeorum*, qui, etsi Iesum nostrum negant esse Messiam, tamen Mosis et prophetarum scopum universalem esse Christum, concedunt. Vid. DEYLINGIUS in *Observ. Sacr. Part. V. p.* 314.

§ X.

Regulae de investigando hoc scopo generali.

Cum CHRISTUS sit scopus generalis totius S. Scripturae, ad hunc etiam respiciendum est omnium

maxime in ejusdem explicatione; ita vero, ut et ad cautiones quasdam exegeticas et ad subsidia nonnulla hermeneutica attendatur, de quibus in sequentibus regulis agam.

REGULA I.

Et excessus et defectus est vitandus.

Etsi Christus sit diligentissime in Scriptura quaerendus, meris tamen conjecturis et opinionibus indulgendum non est.

Sunt qui in defectu peccant nullaque loca V. Test. de Christo literaliter agere, contendunt, quorum supra *Libr. I. Cap. II.* § *V. Reg. VI. p.* 28. mentionem fecimus. Sunt etiam qui in excessu peccant, dum fere omnia loca prophetarum de Christo vel literaliter vel mystice exponunt, in quibus Christi mentio nulla facta est, quorum exempla videsis in DEYLINGII *Observ. Sacr. Part. V. p.* 326. ex *Esa.* II, 22. *Cap.* LXIV, 1. *Cap.* XXI, 11. 12. *Gen.* VIII, 21. Qui COCCEII methodum sequuntur, utplurimum in hoc extremum prolabuntur et, quamvis HERM. WITSIUS in *Oecon. Foeder. Lib. IV. Cap. VI.* § *VIII. p.* 639. tolerabilius peccare eum existimet, qui Christum ubique quam qui nullibi invenisse se putaverit, peccat tamen, qui solis conjecturis humanis innixus opiniones suas pro sensu a S. Spiritu intento jactare, non veretur occasionemque cavillandi dat hostibus, cum satius omnino sit, parcius etsi, tamen verius, in Scripturis Christum exhibere atque ostendere. VITRINGA duplicem methodum interpretandi prophetias commemorans alteram *sterilem*, quae Christum aegre et rarius, alteram *liberalem*, quae Christum crebrius in verbo prophetico deprehendit; et recte quidem monet, posteriorem praeferendam esse priori. Addit tamen signa quaedam, ex quibus loca de Christo agentia dignosci debent, ne prophetiae, quae de aliis rebus et temporibus manifeste agunt, ad Christum vi et coacte rapiantur. *Servandus hic est modus et medium, ut in rebus aliis.* Vid. *Typ. doctrin. prophet. p.* 189. *seqq.*

REGULA II.

In illis locis V. Test. Christus certissime reperitur, in quibus de se agi, vel ipse vel per suos discipulos et Apostolos testatus est.

1) Qui ϑεοπνευστίας N. Test. memores sunt, hujus regulae fundamentum indubium statim agnoscent. Quis enim sensum suorum verborum V. Test. melius et certius novit, quam idem ille Spiritus Christi, qui olim per prophetas, posthac per Apostolos locutus est? Nemo certius ostendere potuit, quae loca et verba V. Test. de Christo sint intelligenda, quam ipse Christus, auctor S. Scripturae ejusdemque causa efficiens. Quis igitur Christianorum audebit, verba illa de alio explicare, quae Christus ipse de se explicanda esse asseruit? Ecquis audebit negare, loca V. Test. ab ipso S. Spiritu, per Evangelistas et Apostolos, de Christo allegata etiam de ipso agere?

2) Infallibilitas regulae nostrae adeo certa est, ut ne HUGO quidem GROTIUS loca in N. Test. de Christo allegata negare, quod de Christo agant, fuerit ausus; addidit vero strophen pessimam, quasi per mysticam applicationem et sensum sublimiorem tantum, nequaquam literaliter de eo egerint, neque directe, proprie nec diserte. Hac sua iniquissima hypothesi fretus in illis etiam locis, quae in N. Test. de Christo allegantur, lectores a Christo abducit hisque persuadere studet, ne credant, prophetas literaliter et proprie de Christo vaticinari, sed verba posse ad Christum applicari et trahi per accommodationem aliquam, quam quidem spiritualem et mysticam vocat, de qua autem adeo frigide loquitur, ut vix ac ne vix quidem credere fas sit, eum rem serio egisse. Vid. VITRINGA in *Praef. ad Commentar. in Esaiam, Tom. I. p.* 11. 12. De IO. CLERICI opinione et de aliorum hypothesibus huc suo modo pertinentibus dispiciam infra, ubi de allegationibus dictorum V. Test. in N. Test. ex instituto disserendi locus dabitur. *Lib. III. Cap. V.*

3) Observatione dignum est, pro Messia in N. Test. nullum allegari dictum ex psalmo, cujus titulus testetur, de Davide eum agere; quod est argumento, loca illa, quae ex Psalmis ut de Christo agentia in N. Test.

fuere allegata, non per nudam accommodationem neque per sublimiorem sensum, multo minus κατ' ἄνθρωπον de Christo agere, sed literaliter, proprie atque directe.

REGULA III.

Unde cognoscatur, quae loca V. Test. de Christo agant.

Criteria, unde infallibiliter cognosci potest, locum quendam V. Test. de Christo hujusque ecclesia agere, sunt quaerenda

1) *in* nominibus *Christi singularibus*,
2) *in* operibus *Christi peculiaribus*,
3) *in* attributis *Christo singulari modo competentibus*.

Nomina Messiae singularia.

1) *Nomina* singularia gerit Christus in V. T. studiose collecta a SAL. GLASSIO in *Onomatologia Messiae Prophetica* et ab AUG. HERM. FRANCKIO in Tractatu Germanico, *Christus der Kern heiliger Schrift, p. m.* 247—258. Repetam ego sequentia clarissima:

α) Si post obitum Davidis prophetae de *Davide* futuro rege vaticinantur, Messiam hoc nomine signant, *Ier.* XXX, 9. *Ezech.* XXXIV, 23. 24. *Cap.* XXXVII, 24. 25. *Hos.* III, 5.

β) Si de *pastore ovium* singulari, eminentiore ac fidelissimo loquuntur, *Ezech.* XXXIV. XXXVII. coll. *Io.* X, 12.

γ) Si de *servo* vaticinantur, quem Deus *suum servum* κατ' ἐξοχὴν vocat, *Esa.* LII, 13., ad quem gentiles convertendi, *l. c. v.* 15. *Esa.* XLIX, 6. *Zach.* III, 8.

δ) Si מַלְאָךְ, *angelum*, nominant, qui angelus foederis et nomine essentiali Dei יְהוָה insignitur. *Gen.* XXII, 15—18. *Gen.* XLVIII, 16. *Cap.* XXI, 17. *Numer.* XXII, 22. *Mal.* III, 1. *Hos.* XII, 5. *Exod.* III, 2. 4. 7.

ε) Si *filii* absque mentione patris faciunt memoriam; Ebraei enim semper si filii meminerunt, patris no-

men simul addunt; hoc vero si omittunt prophetae, singularis ratio adesse debet. *Esa.* IX, 6. Vid. VITRINGA ad *h. l.*

ζ) Si nomen יְהוָה tribui videtur homini, maxime germini Davidis s. homini ex familia Davidis oriundo, *Ier.* XXIII, 5. 6. XXXIII, 15. 16. Constat enim, hoc nomen creaturae non competere; hinc, si cuipiam homini tribuitur, semper θεάνθρωπος CHRISTUS est intelligendus.

η) Si *filii Davidis* olim in solio patris perpetuo regnaturi prophetae mentionem faciunt, *Esa.* XI, 1. coll. *Matth.* XXII, 42. *Apoc.* V, 5.

ϑ) Si *uncti* seu Messiae sensu absoluto et eminentiore nomen afferunt, *Ps.* II, 2.

Opera Christi singularia.

2) *Opera singularia*, quae CHRISTO in literis sacris appropriantur indeque criteria suppeditant, quorum ope dijudicari potest ac debet, an verba de Christo agant, sunt

a) *Eductio populi Israelitici ex Aegypto*, quae simul typicum respectum habet ad *redemtionem spiritualem per Christum factam;* nam ille יְהוָה, qui toties in Scriptura V. Test. testatus est, se sua potenti manu populum ex servitute Aegyptia liberasse, per desertum deduxisse in columna ignis et nubis et in terram promissam introduxisse, est CHRISTUS, filius Dei, tunc temporis ἄσαρκος, posthac ἔνσαρκος. PAULUS enim hoc apertissime docet 1. *Cor.* X, 4. 9., ubi Christum petram illam in deserto vocat atque eum a populo in deserto tentatum nec non prostratum fuisse, clarissime affirmat, quae tamen *Num.* XXI, 5. 6. et *Exod.* XIII, 21. adscribuntur Deo isti, qui populum in columna ignis per desertum comitabatur. Accedit, quod idem hic יְהוָה populum ex Aegypto educens fuerit locutus de alio, qui etiam יְהוָה salutatur et cujus gratiam atque misericordiam summis laudibus extollit; nam verba, quae *Exod.* XXXIV, 6. leguntur, non sunt Mosis, ut vulgo censetur, sed τοῦ יְהוָה stantis ad latus Mosis, prout ex *Num.* XIV, 18. invicte demonstrari potest.

Observ. Hoc unum si recte aestimaveris, miraberis profecto, Socinianos et, quicunque his vel clam favent vel palam, nulla in scriptis Mosis de Christo testimonia potuisse invenire, cum singula folia Pentateuchi, maxime Exodi, Numerorum et Deuteronomii de Christo loquantur. Quoties enim, quaeso, meminit Moses illius, qui populum Israëliticum ex Aegypto eduxit? Poterisne numerum locorum servare? Sed quoties hujus meminit, toties de Christo testatus est. *Io.* v, 46.

β) *Collatio gratiae et veritatis.* Hanc gratiae et veritatis collationem ad Messiam hujusque tempora sensu plane singulari referendam esse, docent verba IOANNIS: *Lex per Mosen data est, sed gratia et veritas per Iesum Christum. Io.* I, 17.; add. *v.* 14. 16. Omnium prima hujus gratiae mentio facta est ab ipso Messia, *Exod.* XXXIV, 6. Evolvatur *Ps.* LXXXIX, 2. *seqq.* et addatur GEIERUS in *Commentar. ad hunc psalmum*, ut constet, *gratiae* ubertatem pariter et promissionum divinarum *veritatem* in Christo exsplendescere magis, ac in aliis quibuscunque divinis operibus.

γ) *Conversio gentilium ad verum Dei cultum.* Haec conversio gentilium nullo alio tempore quam N. Test. facta est et adhuc continuat, prouti ipsa res loquitur nostrumque exemplum abunde testatur. Ergo, si prophetae V. Test. vel de subjecto, ad quod, vel de tempore, in quo gentiles sint convertendi, vaticinantur, de temporibus Christi atque N. T. vaticinantur, quia tempus aliud nominari nequit, in quo vaticinia ista fuerint impleta. Ubiubi prophetae Deum nominant, quem gentiles sint adoraturi, ibi Christum praesertim nominant. *Gen.* XLIX, 10. *Ps.* II, 8. XXII, 28. LXXII, 10. 11. *seq. Esa.* II, 2. XLII, 1. XLIX, 6. etc.

δ) *Populi Israelitici restitutio in patriam.* Praedixere prophetae populi Israëlitici restitutionem in patriam et cum hac restitutione novam conversionem ad Deum et ad regem suum Davidem. *Hos.* III, 5. *Ier.* III, 18. XXX, 9. XXXIII, 12. 13. *seqq. Ezech.* XXXVII, 21. *seqq.* etc. Constat vero, omnes et singulos Israëlitas in patriam non rediisse, sed in dissitissimis terris, in quas pulsi et projecti fuerant, mansisse inque his Iesum pro vero Messia agnovisse, ita

ut multae myriades Judaeorum et Israëlitarum opera et ministerio Apostolorum in omnes terras exeuntium ad Christum IESUM fuerint conversae: ergo complementum vaticiniorum ostendit, quemadmodum PAULUS etiam notavit *Rom.* XI, 26. 27., opus hujus restitutionis a nemine nisi a Christo fuisse olim expectandum.

ε) *Abolitio veteris foederis et oeconomiae novae institutio.* Nova enim haec oeconomia, quae semotis umbris ipsum corpus, CHRISTUM, exhibet, *Col.* II, 17., saepius in V. Test. praedicitur. *Ier.* XXXI, 31. *seq.* *Dan.* IX, 27. *Mal.* I, 10. 11. *Ier.* III, 16. Impletas vero esse has praedictiones tempore Christi et N. Test., apud nos omnes est in confesso.

Attributa Messiae singularia.

3) *Attributa* Messiae singularia laxiore sensu a me sic dicta varia in scripturis propheticis deprehenduntur, ex quibus haec criteria deduco:

α) Quando prophetae de *rege* in omnia saecula regnaturo et de *regno* in aeternum duraturo et per totum terrarum orbem ampliando vaticinantur, agunt de CHRISTO. Ratio est in promtu: De nullo rege terreno, de nullo regno terreno praedicari potest aeternitas, sed de spirituali, quod et hujus et futuri aevi est et cujus nullus unquam erit finis. (*Ps.* II. VIII. LXXII. XLV. XCVII. CX. etc. *Esa.* X. XI. LX.) Christi regnum non est hujus mundi. *Io.* XVIII, 36.

β) Quando prophetae de subjecto loquuntur, quod *rex* et *sacerdos* simul est; nam omnes sacerdotes V. Test. ex tribu Levi et ex familia Aaronis oriundi erant, sed reges Iudae ex tribu Iudae et ex familia Davidis. Hinc fieri non poterat, ut rex ex familia Davidis oriundus sacerdotio simul fungi posset, quia nemo nisi posteri Aaronis sacerdotium nancisci debebat. De Christo autem constat, et quidem de hoc solo, quod non solum rex spiritualis, sed et sacerdos isque summus esse debeat, unde fit, ut loca *Ps.* CX, 4. *Zach.* VI, 13. et typus Melchisedechi *Gen.* XIV, 18. (ut Paulus clare ostendit *Ebr.* VII.) de Christo sint accipienda.

γ) Quando prophetae *de novo cantico* inter gentes decantando loquuntur; novum enim canticum ad no-

vam oeconomiam N. Test. respicit, cum antiqua cantica non nisi in terra promissa canerentur; *Ps.* CXXXVII, 4. Vid. *Ps.* XCVI, 1. *seq.* XCVIII, 1. *seq.* CXLIX, 1. *seq.* *Esa.* XLII, 10.

§ XI.

Scopus specialis quis?

Specialis scopus est vel libri totius vel hujus et illius pericopae.

Criteria scopi specialis.

De speciali hoc scopo judicari potest ex criteriis in Scriptura conspicuis, et quidem:

1) *Ex titulo vel libri vel pericopae.* Huc pertinent *tituli psalmorum,* quos SONTAGIUS, theologus Altdorfinus, peculiari libro collegit et exposuit et ex quibus scopus facili opera cognoscitur. Vid. *Ps.* II, 1. III, 1. VII, 1. XVIII, 1. XLV, 1. etc. Similiter ex *Apoc.* I, 1. scopus a Ioanne intentus cognoscitur; ἀποκάλυψιν enim suum librum nominat Apostolus, ut indicet, fata ecclesiae sibi in visione manifestata atque revelata nunc nobis etiam in hoc libro manifestari debere atque revelari. Sic etium titulus מִשְׁלֵי שְׁלֹמֹה, proverbia Salomonis, *Prov.* I, 1., significant scopum hujus libri specialem, qui est collectio sermonum Salomonis sapientissimorum in hoc libro instituta.

2) *Ex initio vel fine libri et pericopae.* *Lucas* in initio et evangelii sui et Actuum Apostolicorum scopum suorum scriptorum diserte commemorat, quem historiam factorum Iesu et Apostolorum accuratiorem esse voluit, *Luc.* I, 1—4. *Act.* I, 1. 2. *Ioannes* scopum evangelii sui et sub initium et sub finem ejus declarat manifestissime: nam *Cap.* I, 1. *seq.* de divinitate IESU exorsus tandem *Cap.* XX, 31. concludit, omnia a se scripta esse, ut credamus, IESUM esse Messiam, *filium* Dei; id quod pluribus asserui contra CLERICUM aliosque in *additamentis* ad PRITIUM *in Introduct. in N. Test. Cap. XIII. p.* 203. *seq.* Idem Ioannes in fine *Apocalypseos* suae, *Cap.* XXII, 18., et in initio, *Cap.*

I, 1. *seq.*, scopum hujus libri difficilioris ipse exposuit. S. *Iudas* epistolae suae scopum esse dehortationem ab erroribus jam tum gliscentibus docet v. 3.

3) *Ex occasione scribendi et loquendi sacro auctori data.* Si quis scopum epistolae S. PAULI ad *Galatas* nosse cupit, ex occasione *Cap.* I, 6. commemorata eum facile intelliget, ut nimirum Galatas, qui brevi tempore (ταχέως) a veritate defecerant, partim ad veram doctrinam de justificatione per solam fidem revocaret, partim stantes adhuc in veritate confirmaret erroneam de legis observatione ad salutem necessaria opinionem plene confutando atque rejiciendo. Vid. *Introductio mea in Epistolam Pauli ad Galatas* § *XIX. XXIII. p.* 114. 124. Quod si quis de scopo capitis V. prioris epistolae ad *Corinthios* tanquam pericopae cujusdam esset sollicitus, eum ex illa, quam *v.* 1. de incestu horrendo ad Pauli aures delato datam legit narrationem, statim agnoscet. Incestuosus enim iste dederat occasionem haec scribendi ad Corinthios hosque reprehendendi, quod malorum consortia non fugerent, cum tamen fugere et debuissent et potuissent. De scopo totius capitis *Deut.* XXXII. ex antecedenti *Cap.* XXXI, 28. 29. 30. optime judicari potest.

4) *Ex argumento libri vel pericopae.* Exempla qui desiderat, adeat scriptores supra laudatos, WALTHERUM in *Officin. Bibl.*, CARPZOVIUM in *Introduct. in Libr. V. Test.*, SAL. TILLIUM in *Opere Analyt.*, HEIDEGGERUM in *Enchirid. Bibl.*, PRITIUM in *Introduct. ad N. Test.*, STARCKIUM in *Synops. Biblioth. exeg. V. et N. Test.*, HAGEMANNUM in *Einleit. in A. und N. Test.*, CALMETUM, DUPINIUM in *Prolegom. Biblic.* et plerosque commentatores et generales et speciales, quippe qui fere semper de argumentis librorum biblicorum, quos sibi tractandos sumserunt, in praefamine egerunt.

5) *Ex diligenti antecedentium et consequentium collatione* pericopae scopus, brevioris maxime, facile indagari potest. E. gr. si de scopo pericopae apostolicae 1. *Cor.* X, 7—11. disquiritur, docet antecedentium (*v.* 1. *seq.*) cum consequentibus (*v.* 12. et *v.* 14. 15.) diligens collatio, quod Paulus Corinthios a securitate arcere velit, ut ne ipsis eadem eveniant, quae olim securis Judaeis in deserto evenerant; ideo enim ex historia Mosis selegit illa in primis peccata, quibus Corinthii aeque ut olim Judaei in deserto sese dedere potuissent.

6) *Ex aetate, qua sacer scriptor vixit atque scripsit.* VITRINGA exinde, quod *Esaias* illa aetate vixit et declamavit, in qua status ecclesiae Judaicae sub Uzzia et Hiskia valde corruptus erat, recte concludit, scopum Esaiae multis in concionibus fuisse, ut populum ad resipiscentiam moveret et in primis a libidine, luxu, avaritia, superbia atque hypocrisi revocaret. Vid. *Commentar. in Esa. prolegom. p. m.* 16. S. IOANNES Evangelista vixit tempore illo, quo Cerinthiani et Ebionitae divinitatem IESU impugnabant; inde colligere fas est, quod suum evangelium maxime in hunc finem, ut divinam CHRISTI naturam assereret, scripserit, quemadmodum etiam antea ex *Io.* XX, 31. evicimus.

§ XII.

Regulae de scopo speciali.

In investigatione scopi specialis et libri et pericopae cujusdam observari possunt sequentes regulae:

REGULA I.

Unius libri et pericopae plures possunt esse fines.

1) Nititur haec regula tam experientia ex inductione plurium finium unius scripti confirmanda, quam generali illa assertione, quod unius rei plures esse possint fines.

2) Poterunt autem plures illi fines in primarios et secundarios, vel subordinatos et conjunctos dividi, prouti argumentum hujusque ratio feret. ESAIAM multiplicem scopum intendisse suo in libro, ostendit VITRINGA, dum observavit, *primum* scopum ejus fuisse, ut populum sui temporis duceret ad resipiscentiam, *secundum*, ut veritatem religionis Judaicae a Mose traditae confirmaret in doctrina legis et evangelii, *tertium*, ut promissiones gratiae de Messia declararet et illustraret, *quartum*, ut ecclesiam erigeret in spem meliorum temporum sub regno Messiae futurorum. Simili modo de epistola S. Pauli ad Colossenses

ostendi in *Introduct. in Lection. Epist. ad Coloss. Part. II.* § *XVI. p.* 230. *seqq.*, quod quintuplicem scopum sibi propositum in hac epistola habuerit Apostolus, *primus* enim est, ut errorem de retinenda legis Mosaicae observatione hujusque cum doctrina evangelica conjunctione confutet, *secundus*, ut Colossenses ab abusu philosophiae, γνώσεως singularis specie jactitatae, dehortetur, *tertius*, ut externam austeritatem, quam nonnulli praetextu pietatis amabant, cum dispendio corporis et sanitatis coërceat, *quartus*, ut θρησκείαν τῶν ἀγγέλων a Colossensibus propellat, *quintus*, ut aeternam Christi divinitatem affirmet ac vindicet. Atque talis plurium finium in uno libro et in una pericopa conjunctio datur etiam in plerisque libris biblicis reliquis.

REGULA II.

Canones in prophetiis observandi.

Inventionem scopi specialis in prophetiis V. Test. sibi facilitabit exegeta, si observaverit sequentes canones:

CANON I. *Prophetae vaticinantur mandando, nominando, optando, agendo, videndo.*

1) *Mandata* prophetica praedicunt illa futura, quae imperare videntur. Esaias jussu Dei populo imperat: *Audite et ne intelligite, videte et ne cognoscite, Esa.* VI, 10.; ipse vero Spiritus S. docuit, huic mandato inesse vaticinium, *Io.* XII, 39. 41. *Act.* XXVIII, 25. 26. Zachariae mandatum, *verbera pastorem et dispergentur oves*, continuisse vaticinium, denuo testatur S. Spiritus *Matth.* XXVI, 31. Adde sis *Esa.* II, 10. *Cap.* VIII, 9. 10. *Cap.* XLVII, 1—5. *seq.* Etiam in N. Test. prophetica mandata legi, docent verba IESU: *Frangite hoc templum et triduo reaedificabo, Io.* II, 19.; siquidem, futuram corporis sui mortem et resurrectionem Christum iis praedixisse, ipse Ioannes fatetur *v.* 21. 22. Nec est aliter explicandum mandatum IESU de *emendis gladiis, Luc.* XXII, 36. Praedicit enim Sospitator discipulis, securitatem, qua praesente se magistro fuerant adhuc gavisi, mox esse finem habitu-

ram, ita ut remoto magistro discipulis de eo, quod securitatem et tutelam praestare posset, cogitandum foret atque dispiciendum.

2) *Nomina* prophetica praedicunt ea, quae de subjectis, quibus dantur, sunt expectanda; sunt enim magis realia, quam verbalia. Nomen *Immanuelis* de Servatore nostro praedictum, *Esa.* VII, 14., non ut proprium, sed appellativum nomen esse accipiendum, patet ex *Matth.* I, 23. Talia etiam sunt nomina *Esa.* IX, 6. de Messia praedicta, quippe quae ostendere debuerunt, hunc esse *mirabilem, sapientem, Deum fortem, patrem saeculi, principem pacis.* Dum Ieremias praedicit, nomen Messiae futurum esse יְהוָה צִדְקֵנוּ, *Cap.* XXIII, 6., vaticinatur reipsa de divinitate Messiae. Huc referenda sunt varia alia nomina, *Assuris, Babylonis, Tyri, Edomi,* etiam ex Apocalypsi S. Ioannis, *Nicolaitarum, magnae meretricis, Gogi et Magogi* etc.

3) *Optando* vaticinari prophetas suisque votis et suspiriis futura fata praedicere, constabit ex *Ps.* CII, 14. (coll. *v.* 16.) et omnium clarissime ex *Ps.* CIX., quem vulgo imprecatorium dicere solent et in quo idem illud, quod precari videtur propheta, ipsa re praedicit futurum.

4) *Actiones* singulares et insolitas prophetarum symbolicas fuisse ac mysticum sensum habuisse, multis exemplis comprobari posset, si opus esset: sufficiat haec repetiisse et allegasse, quae de propheta nudipede, *Esa.* XX, 1. 2., de cingulo Ieremiae abscondito in agro, *Ier.* XIII, 1., de matrimonio Hoseae, *Cap.* I., obviant. Forsitan factum illud singulare de Judaeis e templo Hierosolymitano a IESU pulsis, *Luc.* XIX, 45., haud incommode huc referri posset.

5) *Videndo* praevidisse et, dum has visiones literarum monumentis consignarunt, praevisa praedixisse prophetas, copia *visionum propheticarum* testatur; et, quia hae visiones vel vigilantibus vel dormientibus prophetis obtigerunt, etiam *somnia* continent vaticinia. Conf. *Ier.* I, 13. *Amos.* VII, 1. *Ezech.* XXXVII, 1. *seq. Gen.* XXVIII, 12. etc. Addatur *Apocalypsis* S. Ioannis, cujus pars maxima absolvitur visionibus propheticis intellectu difficilioribus.

CANON II. *Prophetae de rebus N. Test. vaticinantes utuntur saepe phrasibus et imaginibus ab oeconomia Vet. Test. petitis.*

Hunc canonem illustravit SAL. GLASSIUS in *Philol. Sacr. Lib. I. Tract. IV. Sect. I. Can. V. p. m.* 319. 320. et allegavit *Esa.* II, 2. XIX, 21. LVI, 4. 5. 7. LX, 1. 7. *Ierem.* XXXIII, 17. 18. *Ioel.* II, 28. *Zach.* VI, 13., quibus in locis de N. Test. vaticinati sunt ita, ut sacrificiorum, visionum, templi, altaris etc. meminerint et per metaphoram res N. Test. iis praedixerint. Plura loca et exempla qui desiderat, addat GLASSIUM *loc. cit. Lib. V. Tract. I. Cap. XIII. p. m.* 1886. *seqq.* ac insuper observet, Pontificios errare, si ex *Mal.* III, 3. 4. suum sacrificium missaticum probare satagunt, cum de sacrificiis N. Test. spiritualibus vaticinetur propheta sub imagine sacrificiorum V. Test. repraesentatis, unde a sacrificiis improprie et metaphorice talibus ad proprie talia Pontificii male concludunt.

CANON III. *Prophetae Vet. Test. loquuntur de rebus et factis N. T., ubi* 1) *de Gentilium conversione,* 2) *de Judae et Israelis restitutione et redunitione,* 3) *de novo cantico et* 4) *de bonis temporalibus excellentissimo modo conferendis vaticinantur.*

Ut haec pluribus exponamus et confirmemus, opus non est, quia in proxime antecedenti § *X. Reg. III. p.* 153. *seq.* ostensum est, haec singula pertinere ad Christum ejusque opera singularia; unde prona est conclusio, quod etiam ad illa tempora, in quibus Christus regnum suum in terris tunc temporis erat adhuc stabiliturus, sint referenda verba prophetarum.

CANON IV. *In prophetarum dictis saepe occurrit sensus mysticus indeque et literaliter de hoc et mystice de alio eoque utplurimum sublimiore subjecto exponenda sunt.*

Probe monuit VITRINGA in *typo doctr. prophet. p.* 177., hunc canonem summae utilitatis esse in interpretando verbo prophetico, siquidem viam ostendit, qua loca

quaedam Vet. Test., quae de rebus terrenis agere secundum literam videntur, ad res spirituales N. Test. referri possint ac debeant, et quidem ex divina intentione. In ejusmodi enim dictis sacris vel subjectum est complexum seu compositum, vel praedicatum, vel utrumque; voluitque Spiritus S., ut verba non solum literaliter de subjecto suo, sed etiam mystice de alio subjecto in eodem illo subjecto literali quasi repraesentato vel adumbrato acciperentur. Vide, quae supra *Lib. I. Cap. III.* § *XII. Reg. III. p.* 60. prolixius disserui. Qui hunc canonem recte observaverit, perspicue intelliget, quo jure nonnulla loca V. T. ab Apostolis ad Christum et ad res N. T. fuerint relata, quae intra συνάφειαν textus de alio subjecto agere videbantur, ut sunt verba de non confringendo osse agni paschalis, *Exod.* XII, 46. Nam etsi haec literaliter agant de agno proprie sic dicto, mystice tamen et in typo repraesentarunt agnum ab aeterno mactatum, Christum, noluitque Spiritus S. tantum de agno proprie tali, sed et de Christo simul praecipere atque vaticinari.

CANON V. *Prophetae interdum a re terrena ad spiritualem atque coelestem, a suis temporibus ad tempora futura N. Testamenti non per saltum, sed per rerum inter se connexionem digrediuntur.*

Male habuit interpretes, quando observarunt, prophetas de hominibus et factis sui temporis loquentes statim ad res N. Test. digredi vel vice versa. Immo vero etiam RICH. SIMONIUS eo progressus est, ut orationum seriem turbatam et ex confusione et foliorum et rerum derivandam esse, temere contenderet. Sic e. gr. *Ioel.* III, 4—9. prophetam agere de ultimis temporibus, nempe N. Test., antecedentia et consequentia docent aperte; subito tamen se convertit ad homines sui temporis hisque tristissima quaevis praedicit non per confusionem, sed per digressionem, quae ex idearum consociatione oriebatur. *Dum nimirum,* inquit VITRINGA, *propheta erat in describendis gravissimis judiciis, quibus Deus post effusum Spiritum gratiae hostes ecclesiae successive et maxime extremo tempore prosternet ob injurias ecclesiae illatas; obversantur ani-*

mo ejus injuriae, quibus populus Judaeus, pars ecclesiae universalis, suo et proximo tempore afficiebatur a variis gentibus, Tyriis, Zidoniis, Philistaeis, ad quos proin ἐν παρόδῳ, *in transitu, orationem suam vertit, denuncians illis nomine Dei, tum ipsos quoque non abituros impunitos, tum etiam ipsorum peccata et scelera in illa terribili hostium ecclesiae strage vindicanda esse secundum canonem divinae justitiae. Plura exempla ultro se meditanti prophetias offerent.* Vid. *Typ. doctrin. prophet. p.* 183. 184.

§ XIII.

Scopus specialissimus.

Specialissimus scopus quaerendus est in singulis vocibus, phrasibus ac rerum circumstantiis.

1) Quod supra monui, denuo repeto et interpreti sacrarum scripturarum inculco, ut meminerit divinae sapientiae, quae in singulis θεοπνευστίας verbis et rebus suas habuit causas, cur sic, non aliter (qua verba), cur hoc, non aliud (qua res) scriberetur. In humanis scriptis ab homine sapienti exaratis nihil absque ratione scriptum esse, praesumitur ideo, quod sapientis viri sit, verba ad obtinendum finem aptissima semper eligere, etsi per humanam infirmitatem fieri possit, ut nolenti et nescio minus aptum quid excideret. Multo magis de Spiritu sapientiae divinae praesumitur, eum nullibi absque singulari causa hoc et illud, si aliud aderat, verbum adhiberi nec etiam absque singulari causa has et illas res rerumque circumstantias, cum aliae adessent, scribi jussisse. Atque hanc causam singularem dicimus scopum specialissimum.

2) Etsi vero certissimum est, sapientiam divinam in eligendis verbis et rebus certas habuisse causas et certos fines, tamen simul fatendum est, vix ac ne vix quidem in potestate hominum esse, illa Dei consilia haud raro arcana ubique detegere. Interim tentanda sunt omnia, ut πολυποίκιλον σοφίαν τοῦ Θεοῦ ex parte assequamur ejusdemque vestigia assidue investigemus.

3) *Regulas* de hoc scopo specialissimo ejusdemque inventione dare possumus nullas, quia praeter ipsius rei

considerationem atque meditationem criterium vel subsidium dari potest nullum. Cavendum autem est, ne conjecturis nimium tribuamus nec scopum specialissimum in cabbalisticos lusus inanes commutemus, ne nostra cogitata et inventa humana pro divinis S. Spiritus dictatis venditemus. Conf. RAMBACHII *Instit. Herm. Sacr. Lib. II. Cap. IV.* § 17. *p.* 189. *seq.*

§ XIV.

Consideratio circumstantiarum.

Qui contextum considerat, observat etiam circumstantias praecipuas *subjecti* loquentis et agentis, *objecti* realis et personalis, *temporis* et *loci*.

§ XV.

De circumstantia personae loquentis et agentis.

In omni textu sacro necessaria est investigatio *subjecti*, quod vel loquitur vel scribit vel agit, ut inde accuratum ferri queat judicium, quae adsit *persona loquens vel agens*.

Necessitas investigationis circumstantiae.

1) Quam utilis et quam necessaria sit hujus circumstantiae investigatio, in omnium oculos incurrit; fieri enim nequit,

a) ut de vero dicti et pericopae sensu plene constet, nisi de persona loquente, scribente et agente prius constiterit ex asse. Etsi enim catechumenus satis habere queat, quod in tota Scriptura S. Deus loquatur per os prophetarum, theologus tamen, qui horum prophetarum verba eorundemque sensum aliis exponere atque demonstrare tenetur, ulterius progreditur istamque personam, per quam Deus loquitur vel quae loquitur et agit, immo vero etiam ipsam illam divinam personam S. S. Trinitatis, quae loquitur et agit, hunc in finem investigat. E. gr. *Exod.* xxxiv, 6. leguntur verba excellentissima: *Jehova, Jehova, Deus misericors et exorabilis, ad iram tardus, ad clementiam et auxilium propensus*

etc., quae verba vulgo Mosi tribuuntur, ac si hic ut homo Dei misericordiam et benignitatem admiratus fuerit; sed si personam loquentem rectius investigaveris, ex *Num.* XIV, 18. deprehendes, ipsum Dei filium illa edixisse, non hominem Mosen, sed Dei filium misericordiam patris sui admirari. Nonne sic tua etiam admiratio crescet, dum animadvertis, divitias divinae misericordiae tantas esse, ut ipsum filium Dei unigenitum in admirationem atque celebrationem rapiat? Exempla alia innumera facile addi poterunt, maxime ex *Psalmis*, quorum explicatio vera et genuina subinde erit impossibilis, nisi de persona loquente constiterit prius. Facillime enim fieri posset, ut quis Davidem loqui putaret, cum tamen Messias loquatur, maxime in illis psalmis, quos a persona loquente *Messianos* dicere solemus. *Ps. II. XVI. XXII. XL. CX. etc.*

β) ut in prophetarum et Salomonis scriptis scena prophetica recte formetur. Per hanc *scenam* intelligimus dialogos in Salomonis et prophetarum scriptis saepe observatos, in quibus personae adsunt colloquentes, suas quasque partes acturae, summo studio secernendae atque determinandae; alias sensum eorundem nunquam assequetur exegeta. Sit nobis exemplo *Canticum Canticorum*, in quo nisi personas colloquentes, tanquam in dramate sacro, rite distinxeris, sensum verum nunquam habebis nec habere poteris; sed quam primum constabit, ubi sponsus, ubi sponsa, denique paranymphi loquantur, facilior erit veri sensus inventio. Idem ego suaderem in explicatione *Coheleth*, cujus libri difficillimi explicatio facilitari posset, si ut drama sacrum, in quo diversae personae loquentes introducuntur, consideraretur, etsi me non lateat, a paucioribus hanc hypothesin approbari; est tamen suo modo satis antiqua, et ab his, qui μιμητικόν stilum in hoc libro agnoscunt, jam dudum admissa in quibusdam locis, ut *Cap.* III, 18. *seq.*, nunc autem a me ad totum librum protensa. Vid. GLASSIUS in *Philol. Sacr. Lib. III. Tract. III. Can. L. p.* 898., CARPZOVIUS in *Introduct. ad Libr. Bibl. V. Test. Part. II. Cap. V.* § *VI. p.* 218. Aliud exemplum scenae propheticae ex dialogis formandae habebis apud MICHAM, qui c. VI, 5. Deum loquentem et populum suum alloquentem, *v.* 6. populum Deo respondentem, *v.* 7.

prophetae quaestiones hypocriticas proponentem, *v.* 8. prophetam populo respondentem et increpantem nobis sistit: quo personarum loquentium discrimine neglecto verus sensus ubique peribit. Consimili ratione *Psalmus II.* continet dialogum, cujus personae loquentes sollicite distinguendae sunt, ita ut propheta *v.* 1. 2. de turbis hostium ecclesiae quaerat, *v.* 3. hostes hos ipsos loquentes introducat hisque *v.* 4. 5. poenas futuras praedicat, postea *v.* 6. pater regis institutionem declaret et *v.* 7. Messias suam divinam originem celebret etc.

Media dignoscendi personas.

2) Media, quorum ope personae loquentes et agentes investigari possunt, dantur varia. In *historicis* scriptis expresse notantur atque nominantur. In *dogmatico-dramaticis* ad contenta sermonis attendendum est, quorum connexiones ostendent, ubi quaestiones, responsiones, objectiones, vindiciae, interlocutiones sint quaerendae. In *Ebraea lingua* suffixa et praefixa personas subinde discernunt, quas aliae linguae discernere vocibus nequeunt, quia genere masculino et feminino verborum et pronominum carent. His adde numerum, modum et personas temporum grammaticas. E. gr. *Cant.* I, 4. inducitur *sponsa* loquens, *trahe me*, cui statim se jungunt paranymphae, *post te curremus;* siquidem numerus mutatur et pluralis adhibetur, qui ideo de pluribus, non de una sponsa exponendus est, paranymphae autem ajunt, *te*, genere masculino, ergo nequaquam post sponsam, sed post sponsum currere volunt. Regerit *sponsa*, *introduxit me rex in penetralia sua;* nam quod sponsa nunc loquatur, non chorus paranympharum, denuo indicat mutatio numeri, qui singularis est. Respondent paranymphae: *Exultabimus et laetabimur in te*, בָּךְ, in te, sponsa; nam feminino genere utuntur: inde paranymphi mares canere incipiunt et ad sponsum conversi amorem sponsi erga sponsam praedicant, דֹּדֶיךָ, *amores tuos* masculinos, מֵישָׁרִים, quae est terminatio pluralis masculini generis.

§ XVI.

Circumstantia objecti personalis et realis.

A subjecto loquente et agente fit progressus ad *objectum personale* et *reale.*

1) *Personale* objectum dicitur, vel *de quo* est sermo vel *ad quem* sermo dirigitur. *Reale* autem est res, de qua verba agunt.

2) Modus utrumque objectum investigandi est unus idemque, siquidem partim ex *textu* ipso, ubi ad regulam generalem respiciendum est, *talia esse subjecta, qualia permittuntur a suis praedicatis*, partim ex *contextu*, latiore aeque ac angustiore, partim ex *parallelismo*, reali praesertim, dijudicari debet, de quo sacer scriptor loquatur et ad quem sermonem suum dirigat. Nolo exempla plura dare, ubi res ipsa et quotidiana exegetae occupatio ea suppeditat ubique; sufficiat unum ex *Ps*. CX. repetendum. Quaeritur, de quonam objecto personali hic psalmus agat, et respondetur de Messia, quia *textus* ipse tradit criterium in regno et rege, *v*. 1. 2. 3., et *contextus* exhibet regem, qui simul sacerdotio fungi debeat singulari, non juxta ordinem Aaronis, sed Melchisedechi, quique aeterno sacerdotio gavisurus sit, *v*. 4., cui accedit *parallelismus* hunc psalmum ejusdemque contenta clarissime ad Messiam referens. *Zach*. VI, 13. *Ebr*. V, 6. VI, 20. VII, 17. *Matth*. XXII, 44. *seq*. *Act*. II, 34.

§ XVII.

Circumstantia temporis.

Nec est negligenda circumstantia *temporis* tam *in quo*, quam etiam *de quo* sermo sit in dicto S. Scripturae exponendo.

1) Quod pertinet ad temporis, *de quo* sermo sit, investigationem, denuo illa, quae ad praecedentem § XVI. monui, huc sunt referenda, quia tria media hermeneutica (textus originalis, contextus et parallelismus), in primis conjunctim sumta, certam dant explicationem. Cumque § XI. etiam adfuerint signa, ex quibus colligitur, ubi prophetae de temporibus N. Test. vaticinati fuerint, horum evolutio interpretem amplius non morabitur. Cavebit sibi tamen, ne semper annos, menses et dies in describendo hoc tempore determinare cupiat, quia de praeteritorum temporum chronologica determinatione ob scriptorum defectum plena narratio non superest, de futuris autem ante vatici-

niorum impletiones non nisi obscurior esse potest praedictio ob divinam sapientiam, quae prudens, ut ait HORATIUS, caliginosa nocte premit futura contingentia.

2) De tempore, *in quo* vel hoc vel illud dictum sacrum fuerit prolatum, ex aetate, quam quisque scriptor biblicus vivendo attigit et in qua suum composuit librum, judicandum est; cujus investigationis modum et rationem commendavi, cum de scopo speciali § *XI.* 6. *p.* 157. commentarer.

§ XVIII.

Circumstantia loci.

Huic denique superaddenda est circumstantia *loci*, in quo vel de quo vel ad quem.

1) Omnium locorum consideratio, praesertim notabiliorum, fieri potest

α) *geographice*, qua situm, fines, confinia, regna etc. Est autem geographiae antiquioris notitia interpreti summe necessaria, siquidem absque hujus subsidiis innumera fere loca Scripturae vel plane non vel inepte et insufficienter explicare, ad dubia ab empaectis mota nihil respondere, nec de situ, e. gr. Tyri, Sidonis, Edomi, montanorum Seir, oppidorum Dan et Berseba etc. oracula intelligere poterit. Exemplum cape in explicando situ montium *Zionis, Moriae, Libani, Ararat, Grisim, Olivarum* etc.

β) *politice*, ut de populorum et incolarum moribus, oeconomia, idololatria vel religione, regimine, commerciis, re militari, re navali et quae sunt reliqua, sufficienter informetur S. Scripturae lector; profecto enim difficilioribus locis subinde ex his lucem accendi posse, commentatorum recentiorum opera testantur.

γ) *historice*, ut fata cujuslibet regni, fluvii, montis vel alius in S. bibliis commemorati loci celebris teneat; nam quis poterit absque hac locorum historia demonstrare implementa vaticiniorum? Cogita, quam multa ab ESAIA fuerint *Tyro* et *Aegypto* passim praedicta, quam funesta, quam inexpectata; sed,

an singula haec sint etiam impleta, non nisi ex historia Tyri et Aegypti constare potest.

δ) *physice*, qua fertilitatem vel sterilitatem, salubritatem et noxiam aëris etc., ut necessario fieri debet in descriptione *deserti*, per quod Deus populum suum quadraginta annos deduxit. Vid. VITRINGAE *Observat. Sacr. Lib. V. Cap. XV. pag.* 182. *seq.*

2) Etsi quadruplicem singulorum locorum notabiliorum descriptionem mox commemoratam tenere debeat interpres, opus tamen non est, ut singula haec quatuor in explicatione cujusvis loci afferat, sed sola illa inde suis lectoribus et auditoribus proponat, quae ad textus, quem tractat, explicationem pertinent et ad praedicatum relationem habent; alias inutiliter suam profunderet scientiam lectoresque suos et auditores vel nimis retardaret vel frustra oneraret. E. gr.: Qui verba EZECHIELIS, *Cap.* XVI, 49. (*haec sane culpa fuit Sodomae sororis tuae* etc.) explicare vult, frustraneam operam locaret in descriptione Sodomae geographica et physica; sufficit enim, Sodomam politice a suis moribus corruptissimis describere et ad corruptos mores similes Judaeorum transferre atque hoc ipso summam Judaeorum impietatem et malitiam depingere. Hoc enim facto sensus prophetae erit apertissimus, quod nempe populus Judaicus iisdem vitiis, quibus olim Sodoma, obrutus atque superbiae intolerabili deditus fuerit, ideo a Deo severissime puniendus.

§ XIX.

Affectus scriptoris sacri.

In contextus consideratione attendendum porro est ad *affectum* loquentis, scribentis et agentis, siquidem hujus etiam ope verus auctoris sensus erui potest atque debet.

Existentia affectuum.

1) Homines, quorum dicta et facta in Scriptura referuntur, affectibus non caruisse, dubio caret, unde et affectus eorundem investigare fas est, in primis, ubi

sine notitia illius affectus, ex quo haec et illa dicta factaque promanarunt, ad verum atque certum sensum dicti factique devenire nequit interpres. Viros θεοπνεύστους affectibus non caruisse, adeo certum est, quam est certum, eos humanam naturam nunquam exuisse, sed sanctificasse per S. Spiritus gratiam. Nec caruerunt affectibus, cum in actu θεοπνευστίας constituti essent, quicquid etiam ORIGENES obvertat. Prostant enim propria virorum θεοπνεύστων testimonia de affectibus, quibus tunc, cum scriberent vel loquerentur, sine detrimento θεοπνευστίας indulserunt, prouti mox pluribus docebo. Proinde dubitare nefas esset, num illi, quorum vel dicta vel facta in Scriptura exhibentur, affectibus correpti fuerint, et an horum investigatio ab interprete suscipienda sit.

Necessitas investigandi affectus.

2) *Necessariam* autem esse affectuum investigationem, evidenter patet exinde, quod saepius de vero dicti sensu prius judicari nequeat, quam de affectu, quo dictum istud vel pronunciatum vel scriptum fuerat, constat. E. gr. *Luc.* x, 41. narrantur verba IESU ad Martham: Μάρθα, Μάρθα, μεριμνᾷς καὶ τυρβάζῃ περὶ πολλά. Continere haec verba reprehensionem, patet ad oculum, sed quam? Num graviorem ex ira atque indignatione, an leniorem ex amore et commiseratione profectam? Hanc quaestionem (ex qua diversissima posthaec porismata pro diversitate dandae responsionis derivantur) nemo prius solvere potest quam constet, quonam affectu IESUS Θεάνθρωπος hanc reprehensionem pronunciaverit. Cum IESUS matrem suam, *Io.* II, 4., γύναι, *mulier*, alloqueretur, exortae inde sunt interpretum altercationes variaeque sententiae, cum alii summam austeritatem, alii venerationem filialem, alii contemtum ex hac appellatione extorquere voluerint. Sed profecto, nisi affectus loquentis consulatur, decidi res nunquam poterit. Patet inde, quam necessarius sit labor, qui in eruendis affectibus ab exegeta ponitur.

Utilitas investigandi affectus.

3) Nec destituitur *utilitate* sua hic labor; per eum enim personae loquentes, scribentes, agentes et patientes ad vivum quasi repraesentantur, ita ut interpres non

tam describere, quam depingere videatur, de quibus sermo est. Si quis verba PAULI *Phil.* III, 18. interpretaretur, quae *cum lacrimis* a se dictata esse, ipse Apostolus testatur, *νῦν δὲ καὶ κλαίων λέγω*, ex hoc lacrimarum profluvio ita poterit animum PAULI condolentem, anxium, distractum et extrema quaevis mala de Philippensibus timentem describere, ut auditores et lectores PAULUM ipsum lacrimantem se quasi cernere et voce lamentabili dictantem audire putaverint; quae omnia absque commotione affectuum in auditoribus et lectoribus non evenient, sed cum multa et aedificatione et oblectatione. Finge porro, Mosen his verbis, *quid tibi fecit iste populus, ut eum tanto scelere obligares, Exod.* XXXII, 21., Aaronem amice reprehendisse, alium plane habebis sensum ac haberes, si ex *v.* 20. repetiisses, Mosen ira percitum et frementem summam contestatum esse indignationem, qua Aaronis facinus redarguere volebat.

§ XX.

Affectuum explicatio.

Affectus ab interprete sacro sunt et explicandi et eruendi.

1) Affectuum explicatio fieri potest ac debet, quoties in S. Scriptura eorundem mentio facta est; saepius vero eorum mentio facta est, quia affectus *gaudii*, *amoris*, *tristitiae*, *metus* etc. in rebus factisque terrenis, civilibus et spiritualibus frequentissime occurrunt. Est vero affectuum natura semper una eademque, etsi objecta varient; ut diversa est tristitia Petri de peccato, *Matth.* XXVI, 75., a tristitia Mariae de obitu fratris, *Io.* XI, 31. 33., quarum illa rem spiritualem, haec temporalem respicit, sed natura et expositio affectus tristitiae manet, objectum solum variat.

2) Cavendum est, ne physice plus quam moraliter affectuum natura in Scripturae explicatione describatur; physica enim descriptio rarius ad sensum verborum aliquid afferre poterit et haud raro vel obscura vel dubia erit, ideoque ad sensus investigationem parum et rarius apta. Nec opus est, ut philosophorum contentionibus de affectibus se immisceat interpres, cum sufficienter nomen affectus intelligant plerique, etsi distinctam rei ideam et plenam definitionem suppeditare nequeant.

Affectus Deo adscripti.

3) Si DEO affectus adscribuntur in SS. literis, ϑεοπρεπῶς explicandi sunt, h. e., eo modo, qui Deum omnis mutationis expertem et summis perfectionibus gaudentem decet, ita ut ipsi nihil divinae naturae contrarium tribuatur, praesertim in explicatione illorum affectuum, qui vitium involvere videntur. Paucis, *non ratione commotionis, sed effectus* adscribuntur Deo affectus in Scriptura; Deus enim tunc dicitur illud facere, quod homines hoc vel illo affectu correpti facere solent. Hinc *ira Dei* est vehemens mali detestatio, reprehensio, vindicta et punitio, a qua omnis abest perturbatio, tumultus et cruciatus, quo homines irati vix ac ne vix quidem carent. *Ps.* II, 12. XC, 7. LXXVI, 8. etc. *Ira hominis turbida est,* inquit AUGUSTINUS, *et non sine cruciatu animi. Ira vero Dei, de qua dicitur in evangelio (sed ira Dei manet super eum), et Apostolus (revelabitur enim ira Dei de coelo super omnem impietatem) illo in tranquillitate jugiter manente in creatura subdita exercet admirabili aequitate vindictam. Tom. IV. Libr. II. ad Simpl. Quaest. II. Laetitia Dei* est divinum beneplacitum, quod habet in bono, quo gratiose delectatur. *Ps.* CIV, 31. *Esa.* LXII, 5. *Zelus Dei* est vehemens dilectio, qua prosequitur suos dilectos et adversus omnem seductionem atque laesionem tuetur. *Esa.* IX, 7. *Exod.* XX, 5. *Zach.* I, 14. *Num.* XXV, 11. *Poenitentia,* si Deo tribuitur, intelligitur propositum divinum destruendi opus, quod antea bonum et rectum Deoque gratum fuerat, posthac vero malum factum. Sic Deum poenituisse dicitur, quia homines creaverat, *Gen.* VI, 6., et Saulum creaverat regem, 1. *Sam.* XV, 11. *Tristitia* Dei non est mutatio in Deo, sed displicentia mali summa, quae cum proposito malum puniendi conjuncta est, *Gen.* VI, 6. *Ezech.* VI, 9., quo sensu etiam accipienda sunt, quae de contristatione S. Spiritus *Eph.* IV, 30. *Esa.* LXIII, 10. leguntur. *Irrisio* et *subsannatio,* quae in se videntur vitium habere, si Deo tribuuntur, non denotant animi commotionem ex odio et laetitia compositam, sed actum divinae justitiae vindicatricis, quo omnem commiserationem impiis denegat hosque aliis irridendos et subsannandos exponit. *Ps.* II, 4. *Hiob* IX, 23. *Prov.* I, 26. Similia de reliquis affectibus Deo adscriptis, de metu, spe, desiderio etc. sunt ob-

servanda. Vid. GLASSIUS in *Philol. Sacr. Lib. V. Tract. I. Cap. VII. p.* 1550—1555., RAMBACHIUS in *Instit. hermen. sacr. Lib. II. Cap. III.* § *XIV. p.* 141., DEYLINGIUS in *Observ. sacr. Tom. I. Observ. XXIX. p.* 153.

Discrimen affectuum, Deo adscriptorum.

Patet exinde, affectus quosdam Deo competere *proprie*, tamen absque ulla imperfectione et mutatione, cujus Deus plane expers est, et sensu eminentiore; quosdam vero *improprie*, ut sunt, quos sensuales, corporeos dicere nonnulli solent, et quorum natura mutationem et vitium involvere videtur, etiam in mentalibus affectibus. De impia IO. CLERICI opinione, quasi tales phrases ex opinione ethnica originem traxerint suam, nec non de perversa Cartesianorum nonnullorum sententia, ac si phrases illae ex errore vulgi promanaverint, videatur RAMBACHIUS *loc. cit. p.* 140.

§ XXI.

Investigatio affectuum.

Si affectus loquentium in sacris literis nec non agentium et scribentium investigandi sunt, attendendum est ad effectus, quibus se affectus in hominibus prodere solent, et ad certa indicia atque criteria in Scriptura passim obvia.

Cognosci possunt affectus 1) *ex circumstantiis historicis a S. scriptoribus memoriae proditis.* Si Lucas refert, Christum lacrimasse, cum Hierosolymas intueretur et verba: *Ὅτι εἰ ἔγνως καὶ σὺ, καί γε ἐν τῇ ἡμέρᾳ σου ταύτῃ* etc., *Cap.* XIX, 41. 42., pronunciaret, ad oculum patet affectus tunc temporis in IESU anima sanctissima regnans. Sic etiam Petrus, cum tertia vice a magistro suo interrogatus responderet, *Κύριε, σὺ πάντα οἶδας* etc., multa animi tristitia perfusus verba haec et amoris et moeroris plena pronunciavit. *Io.* XXI, 17. Christus cum manum aridam die Sabbathi sanare vellet, *περιβλεψάμενος αὐτοὺς μετ' ὀργῆς, συλλυπούμενος ἐπὶ τῇ πωρώσει τῆς καρδίας αὐτῶν*, tandem in hoc mandatum prorumpe-

bat: Ἔκτεινον τὴν χεῖρά σου. Quo, quaeso, affectu? Eo, quem Evangelista conceptis verbis nominavit. *Marc.* III, 5.

2) *Ex gestibus a scriptoribus sacris vel expresse descriptis vel implicite indicatis.* Paulus et Barnabas scissis vestibus in turbam ruunt clamitantes: *Viri, cur ita facitis, nos quoque sumus homines,* internos animi motus perturbationesque vehementissimas satis produnt. *Act.* XIV, 14. 15. Pilatus vero ad IESUM quaestione conversus, *quid est veritas?* gestu quidem non prodit affectum, sed ipsa quaestionis contenta implicite indicant fastidium et contemtum, quo IESUM de veritate disserentem hactenus audiverat. *Io.* XVIII, 38.

3) *Ex circumstantia temporis, in quo verba fuere prolata.* Omnia *Threnorum Ieremiae* verba tempore calamitosissimo fuere prolata, cum animus prophetae curis et aerumnis fractus plane esset, unde facilis est conjectura de affectu, quo singula pronunciata fuerint.

4) *Ex ipsa re vel verborum contentis.* Si Esaias nomine Dei reprehendit Judaeos ut *filios* degeneres, quos quidem ut pater aluit Deus, qui vero defecerunt ab ipso, hosque statim non solum nomine filiorum indignos, sed etiam *bobus* et *asinis* pejores vocat et damnat, nonne summa affectus irae et indignationis vehementia inde apparet? *Esa.* I, 2. 3. Ejusmodi exempla habebis passim in S. literis, maxime in graviore epanorthosi, paraclesi et elencho.

5) *Ex ordine et structura verborum singulari et insueta.* Est enim haec affectuum vis et efficacia, ut constructionem ordinemque verborum mire invertat atque turbet. Unde etiam ab effectu ad causam legitime concludet exegeta, si a turbato verborum ordine naturali ad causam, id est, ad affectum, cui ordinis turbatio originem suam debet, progrediatur. Conf. *Lib. III. Cap. III.* § *XVII. p.* 134.

6) *Ex locis parallelis;* interdum enim in parallelis locis indicatur affectus, quo verba fuerant prolata, cujus in hoc et illo loco mentio nulla fiebat. Deus apud Mosen, *Num.* XIV, 22. 23., absque affectus indicio edicit: *Nec ullus hominum, qui gloriam meam et ostenta, quae tum in Aegypto, tum in solitudine feci, viderunt, terram videbit, quam eorum majoribus juravi;* sed si *Ps.* XCV, 11. *Ebr.* III, 10. 11. evolveris, Deum hoc suum jusjurandum in ira praestitisse, intelliges. Quae

Paulus de traditione hominis incestuosi in potestatem Satanae, 1. *Cor.* V, 3. *seq.*, scribit, ex parallelo loco 2. *Cor.* II, 4. lucem accipiunt, ubi verus affectus, quo Paulus tunc regebatur, clarissime demonstratur.

7) *Ex figuris et tropis rhetoricis.* Scimus, usum troporum et figurarum homini ab hoc vel illo affectu occupato adeo naturalem ac proprium fieri, ut absque figuris, e. gr. interrogatione, exclamatione, communicatione, obtestatione etc. loqui nequeat, iis potius et nescius et nolens utatur. Ubi itaque troporum et figurarum usum in sacris scriptis diligenter observabis, ibi etiam internos loquentium et scribentium affectus facile deteges. Exemplum cape ex *Esa.* I, 2. *Deut.* XXXII, 1., ubi prosopopoeia in reprehensione gravissima et in oratione gravissima fuit adhibita certe non absque insigni loquentium commotione nec absque vehementissimo prophetae affectu. *Gal.* III, 1. *Rom.* XI, 33. IX, 20. *Ier.* XLVII, 6. *Ps.* XLII, 4. 6. XXII, 2. etc.

8) *Ex particulis*, maxime *interjectionibus*; sunt enim interjectiones soni nudi, quibus animi affectiones significantur, unde et fere totidem sunt, quot affectus animi; e. gr. *dolentium*, *gaudentium*, *metuentium*, *amantium*, *indignantium*, *blandientium* etc. Ubi itaque tales particulae in Scriptura obviant, ibi de affectu loquentis certus esse potest exegeta. E. gr. *Gen.* XXIV, 51. L, 5. *Matth.* XVII, 17. XXIII, 13. XI, 21. *Ps.* CXVIII, 25.

9) *Ex accentuum Ebraeorum irregulari positione*; maxime si contra dictamen logicum, ut ajunt grammatici, accentus disponuntur a S. Spiritu per positum vel majoratus vel minoratus. IO. FRANKIUS in *Diacritic. sacr. Part. II.* § 246. *p.* 143. hoc affert fundamentum: *Quamvis varii sint affectus et animi motus, duplices tamen praecipue effectus in homine habent. Nunc enim animus retrahi quasi et subsistere videtur, alio tempore incitari et rapi. Illud fit, cum se gravitas et excellentia rei offert, cujus magnitudinem non capit aut veneratur etc. Hi judicantur interdum per majores distinctiones, si reperiuntur, ubi alias minores aut ponuntur aut poni potuissent. Cum vero bona jucunda et delectabilia sunt objecta, rapitur ad illa animus et festinat etc. Quales affectus rapidiores aliquando indicantur, cum minores distinctiones adhibentur, ubi majores possunt, vel etiam junguntur, quae alias distingui solent et possunt.*

LIBRI III.

CAPUT QUINTUM

DE

CONSIDERATIONE PARALLELISMI.

---

§ I.

A consideratione textus originalis atque contextus progreditur interpres ad *parallelismi* considerationem et allegationem tanquam ad tertium medium exegeticum.

1) Confer *Lib. III. Cap. II.* § *II. pag.* 97. Parallelismum esse verum medium eruendi S. Scripturae sensum, negavit auctor libri famosi, *Philosophia Scripturae interpres,* cui suos calculos nonnulli Pontificii doctores adjecerunt nec non SCHMIDIUS iste, auctor versionis Pentateuchi Teutonicae Wertheimensis, aliique sacrarum literarum contemtores. Confutavi autem eos, cum *Lib. III. Cap. I.* § *II. p.* 88. ostenderem, Scripturam omnino esse ex Scriptura explicandam. Omnes viri θεόπνευστοι uno eodemque Spiritu S. infallibili scripserunt, ergo sibi invicem vere contradicere nullibi potuerunt, quia auctor principalis Scripturae est infallibilis, cui contradictiones vere tales nullo modo adscribi possunt. Etsi auctores minus principales sive instrumentales, h. e., viri θεόπνευστοι, diversos libros, diversis etiam temporibus scripserunt, omnes tamen hi libri unum modo volumen, quod est VERBUM DEI, constituunt et unum modo auctorem principalem, SPIRITUM S., habent. Quod si vero licet et prodest, auctoris alius cujuslibet verba ex suis verbis in eodem libro obviis expli-

care, ideo quod nemo sibi ipsi contradicere velle praesumatur: multo magis idem licebit et proderit in scriptis istius Spiritus, qui sibi contradicere non potest propter essentialem veracitatem atque aeternam.

2) Placuit etiam divinae sapientiae nonnullas fidei doctrinas sensim sensimque majore luce affundere atque lapsu temporum in dies clarius patefacere; hinc intelligitur, quam necessaria et utilis sit locorum biblicorum inter se collatio. Sit nobis exemplo vaticinium de *officio Christi regio et sacerdotali*, quod subobscure *Gen.* III, 15., paullo clarius in typo Melchisedechi, *Gen.* XIV, 18., multo clarius *Ps.* CX, 4., clarissime *Zachar.* VI, 13., omnium clarissime *Ebr.* VII. exponitur. Pari modo *mater Messiae* in genere erat *Gen.* III, 15. *mulier* nominata, cujus semen caput serpentis conterere debeat, posthac Abrahamo *Gen.* XVII, 16. praedicebatur, quod ex suis filiabus oritura sit mater Messiae, porro, quod ex Isaaci, non ex Ismaëlis gente sit nascenda, *v.* 19.; Iacobo, nepoti Abrahami, revelabatur, quod ex filio *Iuda* sit illa proventura, *Gen.* XLIX, 10., tandem aucto numero posterorum Iudae in immensum fere addebatur, ex familia Davidis eam esse venturam, 2. *Sam.* VII, 12. 13., et quidem ex virgine, *Esa.* VII, 14., nec eam prius esse venturam, donec tota regia stirps ad incitas fuerit redacta omnique regio splendore orbata, *Esa.* XI, 1. *Mich.* V, 1. En, quam miram lucem collatio horum locorum affundat interpreti.

§ II.

Definitio parallelismi.

Parallelismus est plurium locorum S. Scripturae collatio eum in finem instituenda, ut difficiliora e clarioribus explicentur atque illustrentur.

1) Notio et vox *parallelismi* ex mathematicorum scholis petita est, in quibus lineae parallelae (definiente EUCLIDE, *Lib. I. Defin. XXXIV.*) sunt, *quae cum in eodem sint plano et ex utraque parte in infinitum producantur, in neutram sibi mutuo incidunt.* Quemadmodum itaque linea lineae ex adverso similis dici-

tur parallela, sic etiam loca illis Scripturae locis, ubi vel eadem res vel eadem phrasis obviat, similia et aequalia nominantur parallela.

2) Quem nos vocamus parallelismum, alii vocibus a re musica depromtis dixerunt harmoniam, symphoniam, concentum etc., prout monuit IO. GEORG. NEUMANNUS in *disp. de parallelismo S. Scripturae* § *V.* et ex hoc RAMBACHIUS *Lib. II. Cap. IX.* § *III. p.* 364.

§ III.

Divisio parallelismi.

Dividitur parallelismus

1) in *verbalem* et *realem*,
2) in *totalem* et *partialem*,
3) in *proprium* et improprium.

1) *Verbalis* parallelismus est, ubi diversa Scripturae loca, in quibus vel eadem vel similis vox et phrasis legitur, inter se conferuntur. Sic e. gr. de aeternitate poenarum infernalium *Apoc.* XIV, 11. adhibetur phrasis, quod sit duratura εἰς αἰῶνας αἰώνων, quae *Apoc.* I, 18. etiam de vita Christi aeterna adhibetur: Ζῶν εἰμι εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, et in celebranda gloria et potentia Dei, quae est εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, 1. *Petr.* IV, 11. V, 11. *Apoc.* I, 6. V, 13. X, 6. etc. *Realis* parallelismus est, si duo vel plura loca S. Scripturae de eadem re verbis vel iisdem vel aequipollentibus agentia inter se conferuntur. Iisdem verbis et phrasibus redemtio per CHRISTUM facta describitur *Eph.* I, 7. et *Col.* I, 14. Similibus vero et aequipollentibus verbi divini perennitas describitur *Luc.* XXI, 33. et 1. *Petr.* I, 25.

2) *Totalem* parallelismum dicimus, ubi duo plurave dicta S. Scripturae sibi invicem omni ex parte respondent, ut sunt *Eph.* I, 7. *Col.* I, 14. et *Luc.* XXI, 33. 1. *Petr.* I, 25. mox allegata. *Partialem* vocamus, ubi duo plurave loca sibi invicem ex parte, non ex toto respondent, ut *Rom.* XI, 32. coll. *Gal.* III, 22. Uterque et in verbali et in reali parallelismo locum habere potest.

3) *Proprium* parallelismum dicimus, ubi duo plurave Scripturae loca de una eademque re elocutione propria agunt, ut 1. *Cor.* I, 26. 27. coll. *Luc.* X, 21. *Improprium*, si duo vel plura loca Scripturae inter se conferuntur, quorum alia elocutione impropria, alia vero propria unam eandemque rem proponunt. Sic sponsus coelestis sponsam suam laudat a singulari pulchritudine omnis maculae expertem, *Cant.* IV, 7., quam metaphoram PAULUS repetit *Eph.* V, 27., sed *Col.* I, 22. proprie accipiendis verbis eandem celebrat puritatem, quemadmodum et IOANNES *Io.* XVII, 19.

§ IV.

Usus parallelismi verbalis.

Parallelismus *verbalis* praestat usum suum in sensu vocum phrasiumque eruendo, siquidem et *synonymiarum* et *homonymiarum* collectionem; nec non *sensus famosioris* inventionem facilitat, *regularum*que *grammaticarum*, immo vero etiam *significationis vocum* fundamenta submininistrat.

1) De *synonymiis* ex parallelismo derivatis *Lib. III. Cap. III.* § *VI. p.* 113., de homonymiis *ibid.* § *V. p.* 107., de sensu famosiore et determinato *ibid. Reg. II. et III. p.* 110—112. egi; nec opus est, ut multa exempla ulterius conquiram, cum scriptores, qui *de usu concordantiarum* egerunt, talia abunde attulerint. Add. RAMBACHIUS *Instit. hermen. Lib. II. Cap. IX.* § *V. p.* 366. 367. ANDR. GLAUCHIUS *de usu concordantiarum biblicarum Cap. III. p.* 15. *seq.*

2) Verbalis parallelismus summum usum habet in philologia sacra, speciatim in grammatica, cui regulas per observationes biblicas subministrat, id quod ex celeberrimo illo opere GLASSIANO, et eo fere toto, ad oculum patet. Pleraque enim a GLASSIO tradita philologica ex verbali parallelismo vocum et phrasium originem trahunt; inque hoc tanquam suo fundamento nituntur testibus locis Scripturae sub quovis canone grammatico congestis atque cumulatis. Ne quid ad-

dam de eo, quod ex collatione locorum subinde vocis dubiae *significatio* unice erui possit, h. e., ex usu biblico parallelis locis verbalibus innixo.

§ V.

Usus parallelismi realis.

Parallelismus *realis* usum praebet multum et varium, et quidem:

I) *In explicatione dictorum S. Scripturae, in quibus doctrinae fidei et morum traduntur;* fit enim saepe, ut, quod in hoc loco vel obscure vel dubie prolatum videbatur, in altero parallelo clarius et plenius exponatur, atque sic illud, quod vel difficile, vel minus plenum esse putabatur, lucem plenissimam accipiat. Sic e. gr. singulare videtur, quod *Ebr.* XII, 17. dicatur, *Esavum poenitentiae locum non invenisse, etsi lacrimis eam quaesiverit;* sed, quam primum *Gen.* XXVII, 34. evolves, statim animadvertes, non de poenitentia (*μετάνοια*), quae conversioni aequipollet, sed de mutatione consilii, praeterea nec de poenitentia Esavi, sed patris Isaaci sermonem PAULI esse accipiendum. Esavus enim etsi lacrimis rogabat patrem, ut benedictionem Iacobo collatam revocaret, eo tamen permovere patrem suum non poterat, ut resipiscentiae, h. e., mutationi consilii, locum dedisset. Singulare videtur etiam, quod *Deus cor Pharaonis* dicatur *obdurasse*, *Exod.* IV, 21. X, 27., sed loca parallela, *Exod.* IX, 34. VII, 13. 14. 22. VIII, 15. 19. 32. XIII, 15. 1. *Sam.* VI, 6., docent, Pharaonem se ipsum indurasse contra Deum; inde patet, de tali indurationis modo esse cogitandum, in quo et Deus et Pharao suas, etsi diversas, partes quasi habuit, quemadmodum egregie monstravit FRANZIUS in *De Interpretatione Sacrarum Scripturarum*, *Orac. XXIV. p.* 264.

II) *In explicatione historiarum sacrarum;* quod enim hoc in loco brevius, alibi prolixius vel additis quibusdam circumstantiis narratur, ut vel clarius vel plenius de historia constet. *Magi Aegyptiorum Exod.* VII, 11. non nominantur, sed ex collatione loci paralleli, 2. *Tim.* III, 8., patet, quod saltem praecipui Magi Mosi resistentes Iannes et Iambres fuerint, quorum nomina Paulus vel ex divina revelatione vel ex anti-

qua traditione habuit nota. Vid. WOLFII *Cur. philol. ad N. Test. Tom. III. p.* 529. Quae de *Usiae regis lepra* 2. *Reg.* XV, 5. ita narrantur, ut causam tantae καταστροφῆς assequi vix queat lector, postea 2. *Chron.* XXVI, 16—21., ubi idem Usiae fatum narratur, prolixissime commemorantur et lectorem plene instruunt de causa, propter quam tanto malo rex antea pius fuerit a Deo punitus. In explicatione luctae Iacobi cum angelo increato interpretum sententiae variant; ego vero in *Variis sacris p.* 193. 194. ex loco parallelo *Hos.* XII, 4. ostendi, fletu et precibus luctam illam peractam fuisse Iacobumque amico manuum robori addidisse vim lacrimarum et precum, ut angelum ad diutius commorandum et manendum permoveret.

III) *In explicatione typorum V. Test.*, quippe quae ex collatione locorum V. et N. Test. accurate suscipitur. Quae *Num.* XXI, 8. 9. de aeneo serpente in altum suspenso relata leguntur, *Io.* III, 14. ad Iesum crucifixum applicata, typum egregie demonstrant. Idem de Iona, de summo sacerdote, de tabernaculo etc. iudicare licet, prouti docuimus *Lib. I. Cap. III.* § *XI. Reg. II. p.* 51. 52.

IV) *In explicatione vaticiniorum S. Scripturae.* Prophetae de una eademque re saepius vaticinati sunt mutatis passim verbis et vel auctis vel imminutis circumstantiis, ex qua mutatione lux affulget iis, quae uno in loco minus expedita videbantur. Complementa vaticiniorum dant horum interpretationem plenam et perfectam; hinc sicubi in sacris literis memoriae prodita leguntur, merito cum praedictionibus conferuntur, ut sic ope parallelismi explicentur.

V) *In solutione dubiorum obtentu dicti ex S. Scriptura allegati contra veritatem motorum.* CHRISTUS diabolum, Scripturam cum allegaret, confutaturus ex parallelismo contra patrem mendacii pugnabat, eumque ad silentium redigebat, *Matth.* IV, 7. LUTHERUS cum ECCIO Lipsiae olim de primatu Papae disputans ECCIO ad *Matth.* XVI, 18. provocanti sequentem versum vicesimum tertium et 1. *Cor.* III, 11. *Eph.* II, 20. 1. *Petr.* II, 6. 7. opponebat, suumque adversarium in instanti superabat. Vid. *Tom. I. Opp. Ienens. p.* 281.

VI) *In explicandis similitudinibus biblicis;* quod uno loco metaphorice, parabolice etc. eloquuntur viri

ϑεόπνευστοι, alibi verbis propriis enunciant, id quod frequenter in parabolis observamus. *Luc.* VIII, 5. *seq.* 11. 12. *seq.* Semen mulieris caput serpentis contriturum praedicitur *Gen.* III, 15., quae loquendi ratio metaphorica recte per parallelismum exponitur ex 1. *Io.* III, 8., ubi Christus dicitur missus, ut opera diaboli destrueret.

VII) *In emphasibus eruendis;* ex parallelismo feliciter MART. GEIERUS protraxit multarum Ebraearum vocum emphaticum significatum in *Commentario in Psalmos Davidis*, ex cujus indice repetantur exempla huc pertinentia plura.

VIII) *In affectuum investigatione.* Conf. *Cap. IV.* § *XXI. num.* 6. *p.* 173.

IX) *Omnium maxime in explicatione illorum locorum Vet. Test., quae in N. Test. allegata leguntur.*

Allegatio dictorum Vet. Test. facta in N. Test.

Nam ipsa haec allegatio in N. Test. facta optimam et infallibilem dat interpretationem, siquidem ipsum S. Spiritum auctorem habet et sensum, quo accipienda sunt loca V. Test. citata, adeo clare docet, ut de eo ulterius dubitare nequaquam liceat. Occasionem dedit autem haec allegatio variis sententiis et quaestionibus a doctis viris passim excussis, in primis a Vener. CARPZOVIO in *Critic. sacr. p.* 120. et contra WHISTONUM prolixissime *p.* 846. *seq.*, a JUNIO in *parallelis sacris*, a MAJORE in dissert. *de allegatione dictorum V. Test. in N. Test.*, a GLASSIO in *Philol. sacr. Lib. V. Tract. II. Cap. VII. p.* 2063., a RAMBACHIO in *Instit. hermen. sacr. Lib. II. Cap. IV.* § *VII. p.* 159., ex quibus paucissima repetere juvabit. Scilicet quia in N. T. verba Scripturae interdum aliter allegantur, ac in V. Test. nunc leguntur, et loca quaedam Vet. Test. ad res quasdam N. Test. transferuntur, ad quas juxta opinionem quorundam vel omnino non vel ex humana tantum applicatione transferri poterant et debebant, natae inde sunt variae quaestiones, quas eruditi pro ingeniorum diversitate diversimode solvere studuerunt. Alii Vet. Test. corruptionis inde arguere voluerunt cum CAPELLO, MORINO, VOSSIO, WHISTONO et aliis, quibus vero a viris supra laudatis, maxime

a Vener. CARPZOVIO ex asse satisfactum est. Alii cum GROTIO ad accommodationem habitu et nomine sensus cujusdam sublimioris vestitam confugere maluerunt, quibus supra *Lib. I. Cap. III.* § *II. p.* 32. *seq.* contradiximus. Interpres autem se hisce difficultatibus expedire poterit, si sequentia in dubiis ejusmodi solvendis probe observaverit:

1) *Quod Apostoli interdum loca Vet. Test. allegent, textum originalem secuti, vel qua verba hujusque sententias integras vel modo qua sensum. Ebr.* II, 7. presse insistit Apostolus textui Ebraeo et מֵאֱלֹהִים vertit παρ' ἀγγέλους. Adde *Matth.* I, 23. coll. *Esa.* VII, 14., ubi Evangelista in phrasi ἕξει ἐν γαστρί, ebraeum הָרָה servat, sed in verbo καλέσουσι sensum sequitur et exhibet. Add. *Mich.* V, 2. coll. *Matth.* II, 6.

2) *Quod Apostoli interdum ex versione LXX virali verba Vet. Test. allegaverint, nunquam tamen, ubi in mendo cubat haec versio et a sensu vero aberrat. Hos.* XI, 1. Septuaginta falso legunt τὰ τέκνα αὐτοῦ, Matthaeus eos ideo deserit, c. II, 15., et habet τὸν υἱόν μου. *Mal.* IV, 6. habent septuaginta interpretes verba haec: ὃς ἀποκαταστήσεται καρδίαν πατρὸς πρὸς υἱόν, καὶ καρδίαν ἀνθρώπου πρὸς τὸν πλησίον αὐτοῦ, sed cum a textu Ebraeo longissime abeant mentemque Malachiae pervertant, Lucas Evangelista c. I, 17. recedit a Graeca versione et textum originalem accuratius exprimit hoc modo, ἐπιστρέψαι καρδίας πατέρων ἐπὶ τέκνα, reliqua vero ex *Mal.* IV, 5. 6. citat non κατὰ τὸ ῥητόν, sed κατὰ τὴν διάνοιαν.

3) *Quod Apostoli verba Vet. Test. citare soleant mentione vel auctoris vel libri facta vel etiam omissa allegatione explicite tali.* Nimirum, si Apostoli virum θεόπνευστον allegant nomine tenus, observandum est, non semper praecise illius, quem nominant, scriptum citari, sed interdum etiam volumen ab hoc denominatum. *Matth.* XXVII, 9. allegatur Ieremias, sed cum verba citata in Zacharia *Cap.* XI. legantur, patet, nomen Ieremiae significare h. l. volumen S. codicis secundum, quod Ieremiae nomine citari a Iudaeis solebat, quia Ieremiae vaticinia in hoc secundo volumine primum tenebant locum. Conf. *Lib. II. Cap. II. Sect. II.* § *II. num.* 3. *p.* 78.

4) *Quod in N. Test. allegentur etiam talia, quae κατὰ τὸ ῥητόν in Vet. Test. non leguntur, sed vel ex traditione vel per legitimam consequentiam ex Scriptura derivanda erant.* Interdum Apostoli id innuunt ipsi, dum τὸ ῥηθὲν διὰ τῶν προφητῶν distinguunt ab eo, quod scriptum legitur, etsi etiam hoc, quod scriptum extat, alibi τὸ ῥηθέν nominare soleant. *Matth.* II, 23. legitur celebre illud, *Nazaraeus vocabitur,* quod hactenus frustra κατὰ τὸ ῥητόν in V. T. quaesitum est, unde alii ad typum Naziraeorum cum SPANHEMIO, alii ad נֵצֶר et צֶמַח cum IUNIO et WITSIO, alii ad נוֹצֵר id referre voluerunt, alii non tam ad scriptum prophetae, sed ore propagatum et illa aetate inter Judaeos notissimum vaticinium respexisse Evangelistam cum OLEARIO contenderunt, provocantes ad id, quod non γεγραμμένον, sed ῥηθὲν διὰ τῶν προφητῶν dicatur.

§ V.

Regulae de parallelismo.

Sequuntur regulae quaedam de parallelismo et ejusdem applicatione tenendae:

REGULA I.

Cavendum est, ne parallela habeantur loca, quae talia non sunt.

Ridiculum exemplum ex inepta Rabbinorum parallelismi applicatione protulit RAMBACHIUS *Lib. II. Cap. IX.* § *IX. p.* 383., ubi ex verbis, *venit Esavus ex agro et fessus fuit, Gen.* XXV, 29., tria scelera Esavo imputanda extundere satagunt, nempe *furtum,* quia verbum בּוֹא *Obad. v.* 5. cum furibus conjunctum legitur, *stuprum* virgini jam desponsatae illatum ex voce שָׂדֶה, quae *Deut.* XXII, 27. etiam legitur, ubi de stupro in *agro* facto agitur, et *homicidium,* quia עָיֵף, *fessus,* jungitur occisis *Ier.* IV, 31. Quam insulse, quilibet intelligit. Sic etiam Sociniani הַיּוֹם, *hodie,* quod *Ps.* II, 7. de filii Dei generatione aeterna adhibetur, pessime ex *Ier.* I, 10. explicare tentant; sola enim

verba parallela nondum dant parallelismum vere talem nec realem. Phrasis, *cor alicujus furari*, de Absalone adhibetur populi Judaici favorem sibi conciliante, 2. *Sam.* XV, 6., sed si hunc phraseos sensum ad *Gen.* XXXI, 26. transferre velles ideo, quia verba sunt parallela, errares longissime, cum iratus Laban Iacobum reprehendens eadem quidem phrasi, sed diversissimo sensu usus fuerit.

REGULA II.

Parallelismus non e solis versionibus, sed e fontibus est instituendus.

Saepe enim in versionibus videntur parallela, quae in textu originali diversa sunt, quemadmodum in versionibus interdum parallela non sunt, quae in fontibus maxime parallela sunt. E. gr. *Esa.* IX, 5. nomen Messiae divinum obviat אֵל גִּבּוֹר, quod *Cap.* X, 21. repetitur; sed LUTHERUS in versione prius vertit, *Kraft, Held*, posterius, *Gott der Starke;* quem postremum locum LXX per Θεὸν ἰσχύοντα reddiderunt, priorem vero ita corruperunt, ut ne, quid sibi voluerint, assequi liceat nobis. Sunt tamen duo haec loca sibi parallela, etsi in versionibus a se invicem differre videantur.

REGULA III.

Solus parallelismus verbalis sensum verborum determinare nequit.

Non sufficit dixisse, haec et illa phrasis aut vox alibi occurrit hoc et illo sensu, ergo idem sensus etiam hujus debet esse loci; est enim argumentatio a loco ad locum ea, quam philosophi a particulari ad particulare nominant et quae solam possibilitatem involvit. Innumeris locis in hanc regulam peccant exegetae, quippe qui frequentissime ex solo parallelismo verbali concludere solent, cum tamen determinatio sensus verborum et phrasium ex contextu fuisset petenda.

REGULA IV.

Neque verbalis neque realis parallelismus est praeter necessitatem cumulandus.

Selectui studendum est idque solum ex parallelismo repetendum, quod ad sensus investigationem et confirmationem erat necessarium; alias enim ad pompam et multa cum temporis jactura, sed absque multo labore ex *concordantiis biblicis* fiet multorum locorum repetitio atque allegatio.

REGULA V.

Si quis locus absque parallelorum verbalium collatione intelligi potest, hujus inquisitione supersedeat interpres.

Nihil enim ostentationi, nihil vulgatae de multifaria lectione gloriolae dandum est, omnia utilitati et aedificationi.

LIBRI III.

CAPUT SEXTUM

DE

SUBSIDIIS GRAMMATICO-EXEGETICIS.

---

§ I.

Quid sint subsidia exegetica.

Posteaquam de *mediis* exegeticis, nempe de textus originalis, contextus et parallelismi consideratione, satis constat, progrediendum est ad *subsidia*, quae usum horum mediorum facilitant.

Equidem non nego, monita de subsidiis in hoc et proxime sequentibus capitibus suppeditanda omitti posse in circulis theologiae exegeticae, quia non immerito tanquam propaedeumata theologica praesupponuntur et nemo nisi grammatices, critices, logices, rhetorices cognitione sufficienti instructus ad theologiam exegeticam accedere debebat. Sed cum in his scientiis sint nonnulla, quorum repetitio usum trium mediorum exegeticorum ipsam exegesin constituentium facilitare potest, brevissime et cum selectu de iis praecipiemus, reliqua scientiarum illarum magistris concessuri. Conf. *Lib. III. Cap. II.* § *III. p.* 98.

§ II.

Quid sint subsidia grammatico-exegetica.

Subsidia grammatico-exegetica dicuntur, quae considerationem textus originalis per praeceptorum grammaticorum justam applicationem facilitare possunt.

1) Rectissime olim monuit PHIL. MELANCHTHON, S. Scripturam non intelligi theologice, nisi intelligatur prius grammatice. MART. CHEMNITIUS gravissime docet, tantum debere ecclesiam esse grammaticam, hoc est, non debere fingere res novas aut nova dogmata gignere, sed ea, quae a Spiritu S. tradita sunt, discere ex genuina significatione vocabulorum grammatica; amissa enim vera grammatica statim etiam extingui lucem purioris doctrinae, quemadmodum, cum tempore LUTHERI restitueretur vera grammatica, restaurata etiam fuit puritas doctrinae. *Nec possumus*, addit, *custodes esse doctrinae hujus loci divinitus repurgatae, nisi grammaticam discamus et amemus. Loc. Theol. Part. II. p.* 217. 246. Conf. SAL. GLASSIUS in *Praefat. ad Grammat. sacr.* Cum CALIXTUS olim cultores theologiae a laboribus grammaticis avocandos censeret, CALOVIUS in *Epist. dedicat. Isagog. ad S. Theolog.* recte monebat: *Quicquid sacrae impenditur grammaticae, id omne conducit ad rerum scientiam in hoc studiorum sacrorum genere, quum theologia nostra magnam partem grammatica sit.*

2) Omnium prolixissime et plenissime subsidia grammatico-exegetica exposuit SAL. GLASSIUS in *Grammatica sacra* nunquam satis depraedicanda, cui addere juvabit DANZII *Interpretem Ebraeo-Chaldaeum*, GUSSETII *Commentarios Linguae Ebraeae*, STOCKII *Interpretem Graecum*, nec non POSSELII, CLENARDI, WELLERI, LAMB. BOSI, WASMUTHI, SCHWARZII aliorumque opera grammatica S. Scripturam passim illustrantia. Ego vero vastum hunc campum ita non possum ingredi, ut omnia et singula ex eodem ad sacram exegesin cum usu transferenda inde decerpam; alias enim totum GLASSIUM huc transcribere deberem, sed per saturam ibo ac pauciora quaedam, circa quae exegetas errare vidi, nec non utiliora repetam, et in compendio brevissima exhibebo.

§ III.

Considerat grammaticus *orthographiam* cujusque vocis et, sicubi anomaliam deprehendit, causas ejusdem sollicite investigat.

Ab unius literulae mutatione pendere sensum vocum multarum, dubio caret. Si *Matth.* XIX, 24. legeris *κάμιλον*, alium plane habebis sensum, ac si cum plerisque codicibus *κάμηλον* servaveris. In versione LXX saepe observamus, auctores ejus aliter legisse, ac legere debebant, ut 2. *Sam.* XIV, 17., ubi pro לִמְנֻחָה, *in quietem et solatium*, legerunt לְמִנְחָה, *εἰς θυσίαν*, quam lectionem etiam Vulgata Latina secuta est, dum, *sicut sacrificium*, vertit. Nolo plura ex LXX repetere errata, ubi mutatis vel consonantibus vel vocalibus a vero sensu receditur, quia sunt ubique nota interpretemque satis docent, quanta cautione in singulis vocibus legendis et syllabatim proferendis opus sit. Accedit *τὸ Keri*, quod cum *Ketibh* collatum varias dat lectiones V. Test. diligenter omnino ab interprete examinandas, quia de sensu loci prius non poterit esse certus, quam de genuina lectione vocis certus factus fuerit.

REGULA I.

Anomaliae, quae in literarum figura, mutatione, additione et omissione observantur, absque ratione adhibitae non sunt in sacro codice; hinc interpres ad harum investigationem tenetur.

Conf. *Lib. III. Cap. III.* § *VIII. num. VIII. p.* 122., RAMBACHIUS in *Institut. hermen. sacr. Lib. II. Cap. VIII.* § *XI. p.* 341. De literis majusculis, minusculis, inversis, finalibus in medio usurpatis etc. in Vet. Test. obviis consulendi sunt grammatici et praesertim BUXTORFIUS in *Tiberiad. Cap. XIV. seq.*, DANZIUS in *Literat. Ebr. Chald. p.* 3., HILLERUS in *Arcano Keri et Ketibh. p.* 160., PFEIFFERUS in *Crit. sacr. p.* 196.

REGULA II.

In quibusdam vocibus Graecis N. T. singulae syllabae sunt examinandae, an ad eam, cui in nostris editionibus vulgo tribuuntur, vocem pertineant.

Scripserunt Apostoli et Evangelistae absque omni vocum distinctione, prouti in PRITIANA *Introd. in N. Test. Cap. XXVII. p.* 358. *seqq.* docui; inde fieri potuit, ut primi hodiernae distinctionis et lectionis auctores vel conjungenda divellerent vel divellenda conjungerent. Ne itaque a vero aberret exegeta, haud vanum consumet laborem, si singulas syllabas examinaverit in dubiis et difficilioribus locis, ut accurate dijudicet, quae lectio alteri sit anteferenda. Olim ORIGENES dividebat vocem *χωραζίν* in duas et legebat *χώρα ζίν;* indeque contendebat, Christum regionem Zin exprobrasse, *Matth.* XI, 21. Sed HIERONYMUS urbem *Chorazin* conjungens nempe syllabas *χωραζίν* (*χοραζίν* alii scribunt) legebat hancque a Christo reprehensam esse ajebat, quod simul indicio est, ORIGENEM aeque ac HIERONYMUM codicibus absque vocum distinctione fuisse usos. Si quis autem voluerit decidere quaestionem, utrum syllabae sint conjungendae, an dividendae in voce *χωραζίν*, consulat contextum et ex antecedenti *v.* 20. manifestum erit, Christum de *urbibus* locutum fuisse, non de regionibus, hinc vulgatior HIERONYMI lectio Origenianae omnino anteferenda erit. Utrum *Gal.* I, 9. sit *προείρηκα μέν*, an vero *προειρήκαμεν* legendum, item, an *Rom.* VII, 14. sit pro *οἴδαμεν* legendum *οἶδα μέν*, simili modo dijudicari debet. Conf. RUMPAEI *Comment. Critic. in N. Test. libros* § *XXXVIII. p.* 170.

§ IV.

Considerat grammaticus in *etymologica* parte scientiae suae praecipua singularum vocum accidentia, tam generalia quam specialia, denique specialissima.

1) Ad *generalia* pertinet *species*, sitne vocabulum primitivum, an derivatum, et *figura*, sitne simplex, an compositum; de quibus supra disseruimus, cum de etymologia vocum *Lib. III. Cap. III.* § *III. p.* 100. *seq.* disquireremus.

2) Ad *specialia* referri solet *analogia*, quam habet vox et phrasis cum aliis communem, *anomalia*, quam habet propriam, *numerus*, qui vel singularis vel pluralis, et *persona*, quarum tres numerari solent.

De numero duali.

De *duali* Ebraeorum numero, cujus terminatio ים— est, GLASSIUS *loc. cit. p.* 615. observavit, quod non semper dualitatem inferat; et de duali Graecorum numero addit, quod in Graeco textu N. Test. sit insuetus; etsi enim vocula *δύο* sit dualis numeri et in N. Test. saepe obvia, semper tamen cum pluralibus et nominibus et verbis construi, docet ex *Matth.* XIX, 5. XX, 24. XXVI, 37. *Luc.* V, 2. IX, 13. *Act.* XXI, 33. XIX, 34. etc.

3) Ad *specialissima* accidentia grammatici referunt *genus, declinationem, conjugationem, constructionem etc.*, ad quae singula attendere debere interpretem, passim supra monuimus.

§ V.

Regulae.

Regulae de his vocum accidentibus etymologicis et qua Ebraeam et qua Graecam linguam, sunt quidem ex grammaticis addiscendae; ego vero, ut promisi, quasdam repetam selectiores usui exegetae sacri maxime inservituras; caeteras ex GLASSIO, aliisque grammaticis, sibi notiores reddat.

Plures regulas huc pertinentes jam supra allegavi, cum *Lib. III. Cap. III. de consideratione textus originalis* dissererem; quare nunc concinnior ero atque brevior.

§ VI.

Regulae speciales de nomine.

Regulas speciales *de nomine* repetam sequentes:

REGULA I.

Cave, ne nomen appellativum cum proprio confundas nec vice versa.

In *Variis Sacris* meis *p.* 171. luculento exemplo necessitatem regulae confirmavi, cum ostenderem, Hispa-

nos quosdam *Ps.* LXXII, 10. male nomen תַּרְשִׁישׁ habere pro proprio urbis nomine, *Tartesso*, cum tamen ibidem appellativum sit atque *mare* denotet. LUTHERUS noster *Jud.* III, 19. vocem Ebraeam פְּסִילִים pro nomine appellativo habuit et *von den Goetzen* convertit, quod ego mallem de urbe hujusque nomine proprio accipere. Idem ego quidem censerem de nomine *Schear Jasub*, *Es.* VII, 3., quod LXX reddiderunt rectius, *σὺ καὶ ὁ καταλειφθεὶς ὁ υἱός σου* Ἰασοὺβ; nam *Sear* distinguitur per accentum a *Jasub*, nomina vero composita Ebraeorum semper conjunguntur vel per lineolam Makkeph vel per servos accentus. *Act.* XXVII, 13. vox *ἆσσον* a LUTHERO pro proprio habetur, alii vero rectius appellativum, adverbium nempe *propius*, esse credunt, quia situs urbis istius repugnat.

REGULA II.

Unum idemque subjectum saepe pluribus nominibus propriis gaudet; caveat itaque interpres, ne pro duobus habeat, quod simplex et unum erat.

Multae personae fuere binomines, ut *Esavus*, qui et Edom, *Gen.* XXV, 30., *Achan*, qui et Achar, 1. *Chron.* II, 7., cujus appellationis causam Iosua dat *Cap.* VII, 25., *Petrus*, qui et Kephas et Simon, *Thomas*, qui etiam Didymus, *Simon*, qui et Niger, *Act.* XIII, 1. etc. Sic etiam urbium et populorum dantur nomina varia diligenter colligenda, ne praeter rem multiplicentur subjecta pluribus nominibus insignita.

REGULA III.

Saepe duo substantiva in regimine posita ita sunt intelligenda, ut alterutri natura adjectivi tribuatur.

Vid. GLASSIUS in *Philol. Sacr. Lib. III. Tract. I. Can. VIII. p. m.* 558., ubi exempla perquam multa afferuntur, quibus ostenditur, nunc prius, nunc posterius substantivum adjectivi naturam induere.

REGULA IV.

Duo etiam substantiva proxime copulata conjunctionibus nonnunquam ita exponenda sunt, ut alterum adjectivi vim sustineat.

Vid. GLASSIUS *loc. cit. p.* 554. Vulgo *Hendiadys* vocatur haec construendi ratio figurisque grammaticis annumeratur, ut sit quasi ἓν διὰ δυοῖν. E. gr. *Act.* XIV, 13. dicitur, Lystrenses adduxisse *ταύρους καὶ στέμματα*, *tauros* et *coronas*, non quasi tauri seorsim a coronis fuerint adducti, sed alterum substantivorum transit in adjectivum, ut nempe *tauri coronati* adducti intelligantur. *Matth.* III, 11. praedicitur, Messiam baptizaturum esse *ἐν πνεύματι ἁγίῳ καὶ πυρί*, non Spiritu sancto ab igne distincto, sed *Spiritu ignito*. *Hiob.* IV, 16. legitur, Hiobum audivisse *vocem et silentium*; silentium audiri non posse, patet, sed vocem admodum submissam, quae vix ac ne vix quidem audiri potest.

REGULA V.

Substantivum nomen Ebraeum eodem casu et numero, vel cum copula vel sine copula repetitum, caute est explicandum.

1) Masorethae annotarunt, idem nomen locis CV in Vet. Test. repetitum esse; repetitur autem vel cum ו copulativo vel sine eo, diverso autem significatu.

2) Si idem nomen cum ו copulativo repetitur, indicatur *diversitas*; e. gr. *Deut.* XXV, 13.: *Non erit tibi lapis et lapis*, h. e., non erunt tibi lapides diversi, pondera diversa, id quod ex subsequenti additamento, *neque majus neque minus*, patefit. *Ps.* XII, 3. prohibentur pii, ut ne *corde et corde* loquantur, quod LUTHERUS optime vertit, *aus uneinigem Herzen*, diversis cordibus, h. e., sibi non constantibus. Add. 2. *Chron.* XIX, 5. *Esr.* X, 14. *Ps.* LXXXVII, 5.

3) Si idem nomen repetitur sine ו copulativo, indicatur *multitudo, continuatio et distributio*. Verba illa Messiae notissima: *Ps.* XXII, 2. אֵלִי, אֵלִי, *Deus mi, Deus*

mi, continuam et totum Messiam qua animam et corpus occupantem anxietatem indicant. Plura loca Scripturae dabit GLASSIUS *Lib. III. Tract. I. Can. V. p.* 547. et STARCKIUS in *Ebr. gramm. p.* 470. Locus, qui *Esth.* VIII, 9. occurrit, utramque regulam illustrabit; nam in phrasi מְדִינָה מְדִינָה וּמְדִינָה repetitur nomen provinciae absque copula, ergo continuatio et distributio, repetitur etiam cum copula, ergo diversitas indicatur, unde ad verbum nequaquam vertenda erat, *provincia provincia et provincia*, quod absurdum esset et idiotismi Ebraei neglectum proderet, sed per *diversissimas et dissitissimas provincias omnes et singulas*. Miror ideo, SEB. SCHMIDIUM vertisse, *provinciae atque provinciae;* JUNIUS vero et TREMELLIUS *cujusque provinciae* habent et LUTHERUS *allerley*.

§ VII.

Regulae speciales de verbo.

Praeter eas, quas *Lib. III. Cap. III.* passim dedi regulas de verbo grammatice considerando, sequentes paucissimas commendabimus sacro interpreti:

REGULA I.

Verba activa completiva nunc inchoative, nunc continuative, nunc utroque modo interdum accipienda sunt.

Vid. GLASSIUS *Philol. sacr. Lib. III. Tract. III. Can. III. p. m.* 751. Scilicet, verba videntur interdum actum jam completum et perfectum innuere atque in sua primaria significatione eum innuunt etiam, sed additae circumstantiae declarant, intelligi tantum hujus actus initium et continuationem. *Gen.* v, 32. de Noacho relatum legimus, quod *genuerit* (וַיּוֹלֶד) *Schemum, Chamum et Iaphetum*, ubi verbum completivum יָלַד eo, quo diximus, modo vertendum esse, SEB. CASTELLIO probe animadvertit atque in versione ita exprimit: *Noachus quinquagenarius genuit Semum,*

DEINDE *Chamum et Iaphetum.* Sed LXX, SEB. SCHMIDIUS, LUTHERUS verba Ebraea nude servant; JUNIUS vero in annotationibus ad h. l. recte monet, tres hos filios uno anno natos non fuisse, ut historia docet; ergo τὸ *genuit* non de actu completo, sed inchoato et continuato accipiendum esse, quod scilicet Noachus hoc anno inceperit gignere filios hosque deinceps genuerit suis quosque temporibus et annis. Vid. *Gen.* XI, 26.

REGULA II.

In verbis saepe observatur synthesis, quam alii metalepsin vocant.

Conf. *Lib. III. Cap. III.* § *XVII. pag.* 135.

REGULA III.

Verba, quae actionem et effectum denotant per se, subinde de sola facultate vel de conatu, de consuetudine et de jure atque debito accipi debent.

Conf. *Lib. III. Cap. III.* § *VIII. p.* 119. 120.

§ VIII.

Regulae speciales de particulis.

Denique sequuntur regulae quaedam de significatione particularum paucis repetendae:

REGULA I.

Adverbia temporis definiti interdum indefinitum tempus indicant.

Apud Ebraeos adverbium תְּמוֹל significat *heri;* sed quando HIOBUS *Cap.* VIII, 9. dicit, *nos ab heri sumus*, vel, ut CASTELLIO ad exemplum LXX versionis vertit, *nos quidem hesterni sumus*, facile intelligitur,

definitum tempus pro indefinito positum esse solamque vitae humanae brevitatem venuste et emphatice describi.

REGULA II.

Particulae dubitandi haud raro rei difficultatem indicant.

Vid. *Ioel* II, 14., ad quem locum b. LUTHERUS monet: *Est haec phrasis Ebraica, quae non significat dubitationem, sed affirmationem cum voto, ut si dicam Germanice: Es wird sich, ob Gott will, wohl wenden. Tom. III. Ienens. Lat. p.* 104. Add. *Ion.* III, 9. *Act.* VIII, 22. 2. *Sam.* XII, 22. et confer *Lib. III. Cap. III. § VIII. p.* 119.

REGULA III.

Particulae excludendi accipiunt interdum significationem adversativam.

Gal. II, 16. affirmat Paulus, hominem non justificari *ἐξ ἔργων νόμου, ἐὰν μὴ διὰ πίστεως* Ἰησοῦ Χριστοῦ, SED per fidem in Iesum Christum. Sic etiam accipienda sunt verba Apostoli *Gal.* I, 7., *εἰ μή τινές εἰσιν*, SED quidam sunt, qui vos pervertunt.

REGULA IV.

Adverbia negandi quandoque comparationem et comparandi vice versa negationem involvunt.

David *Ps.* CXVIII, 8. docet, *bonum esse confidere in Jehova,* מִבְּטוֹחַ, *prae confidere hominibus;* sed quis non intelligit, fiduciam in hominibus locatam a Davide nullo modo approbari, sed improbari atque damnari, unde מִן comparativum signans accipit vim negativam. LUTHERUS vertit *und sich nicht verlassen auf Menschen,* sed SCHMIDIUS retinuit *prae,* LXX particulam *ἢ πεποιθέναι*, CASTELLIO *quam homini,* JUNIUS *melius est se recipere ad Dominum quam ad hominem.* Literae

hi omnes pressius adhaerent, LUTHERUS autem in versione simul exhibuit interpretationem et optime quidem. Ad hanc regulam etiam effatum Christi de publicano, *Luc.* XVIII, 14., esse explicandum, cum GLASSIO *Philol. Sacr. Lib. III. Tract. V. Can. XXI. p. m.* 990. et FRANZIO *de Interpret. p.* 890. existimarem, etsi non ignorem, non deesse, qui cum RICH. SIMONIO existiment, comparativam significationem esse retinendam et publicani preces Deo magis quam illas pharisaei placuisse; quemadmodum et vir celebr. CHRISTOPH. WOLLIUS in *diss. de parallelismo N. T. verbali § XIII.* cum SIMONIO ex parte facit et pharisaeum ideo putat dici justum, quia ob magnam putatitiam sanctimoniam homines eum dictitabant justum, publicanum vero Deus.

§ IX.

Quae ad *syntaxin* et ad *figuras grammaticas* pertinent et ex hac in exegetae usus transferri debent, supra, cum de phrasibus et idiotismis et emphasibus commentarer, allata sunt.

Vid. *Lib. III. Cap. III. § IX. p.* 123. *seqq., p.* 132. *seq.* De figuris grammaticis vid. *Lib. III. Cap. III. § XVII. p.* 135. *seq.*

LIBRI III.

CAPUT SEPTIMUM

DE

SUBSIDIIS CRITICO-EXEGETICIS.

---

§ I.

Ex vasto *critices* ambitu exegeta in suos usus convertit ea, quae ad librorum integritatem horumque auctorum genuinorum investigationem pertinent.

Definitio artis criticae.

1) Artem criticam varie definiunt auctores. Veteres eam dicebant partem grammatices, quippe quam in *τεχνικήν* et *κριτικήν* dividebant; vid. WOWER. *de Polym. Cap. VIII. p. m.* 66., IO. CLERICUS criticam vocat *artem intelligendorum veterum scriptorum sive numeris adstricta, sive soluta oratione utentium, et dignoscendi, quaenam eorum genuina scripta sint, quae spuria; tum etiam, quae sint ad regulas artis exacta, quae vero secus.* Vid. *Art. Critic. in praefat. Sect. I. p.* 1. Celebr. HEUMANNUS duodecim partes artis criticae constituit, quot scilicet modis *κρίσις* circa verba exerceri potest, in *parerg. critic. p.* 9. AUG. PFEIFFERUS vult eam esse partem philologiae sacrae eamque dividit in *generalem*, quae circa textum sacrum universim spectatum et versiones, et in *specialem*, quae circa singula Scripturae loca in specie versatur. *Critic. sacr. prooem.* § 6. 9. *p.* 2. 3. Negat autem vener. CARPZOVIUS, criticen esse partem philologiae, eamque plene ita definit, quod sit *disciplina sacra practica, secundum quam pius et attentus Scripturae lector de sublimi ejusdem origine, irrefragabili auctoritate,*

intemerata perfectione reliquisque textum authenticum concernentibus affectionibus, tum quoque de versionum cum archetypo convenientia vitiisque atque virtutibus dextre judicare ejusque genuinos atque canonicos a nothis et apocryphis libris discernere valet ad asserendam et vindicandam codicis sacri dignitatem. Vid. *Critic. Sacr. Vet. Test. p.* 17. 18.

Auctores de arte critica V. et N. T.

2) Ex hac CARPZOVIANA definitione critices sacrae patet, quam ampla sit et, quam necessario exegeta colere eam debeat, ut facilius in exegesi progredi queat. Sed cum a nostro instituto alienum sit, omnia et singula ad criticam pertinentia prosequi, illa sola inde repetemus, quorum prae reliquis in Scripturae explicatione usus erit eximius. Qui vero prolixe et plene singula nosse cupit, consulat auctores, qui sacram criticam V. et N. T. scriptis suis tradere sategerunt, quorum catalogum integrum texere, nunc nimis foret prolixum. Recensuit autem illos, qui ad V. Test. maxime respexerunt, IO. CHR. WOLFIUS in *Biblioth. Ebr. Part. II. p.* 262., CARPZOVIUS in *Crit. sacr. p.* 20—32., sed qui ad N. Test. pertinent, a me ipso nominati sunt in additamentis ad PRITIUM in *Introduct. in lect. N. Test. p.* 2—8.

§ II.

Quia de integritate S. codicis in genere spectata in scholis theticae theologiae et polemicae, ut vulgo dicuntur, prolixe agi solet, nos, quae de illa disputari possunt, silentio praeteribimus et quatuor tantum momenta ad integritatem S. Scripturae speciatim consideratam pertinentia, exegetae inculcanda repetemus.

§ III.

Primo, interpres critica disquisitione opus habet in docenda uniuscujusque libri biblici αὐθεντίᾳ, ut demonstret, *partim* librum re vera esse illius, cui

adscribitur, auctoris, *partim* librum eundem ita, qualem adhuc manibus tenemus, ab auctore suo olim conscriptum fuisse nec esse corruptum neque suppositicium, sed genuinum atque integrum.

De auctore libri unde constet.

1) *Prius* est, *an liber biblicus sit illius, cui tribuitur, auctoris.* Ad quod responderi potest:

α) Ex testimonio ipsius, de quo quaeritur, libri ejusdemque titulo et contentis. *Titulus* libri est instar bibliothecarii, qui librum porrigit eumque hujus vel illius auctoris esse testatur. Etsi vero in hujus testimonium nulla per se cadat suspicio, tamen inspiciendus est postea ipse liber et in ejusdem *contentis* disquirendum, an quid illi, cui adscribitur, auctori incongruum in libro deprehendatur vel qua *stilum* vel qua *res* et doctrinas, vel qua *aetatem*, in qua auctor vixit.

β) Ex testimonio et consensu scriptorum vel coaevorum vel ab illa, qua auctor libri vixisse creditur, aetate haud longe remotorum.

2) Qui in exemplo applicationem duplicis hujus argumenti desiderat, evolvat b. BUDDEI *Institutiones theol. dogmat. Lib. I. Cap. II.* § *X. p. m.* 100. *seqq.*, DEYLINGII *Observationes sacras Tom. I. Observ. II. p.* 8., CARPZOVII *Introductionem in Libr. Vet. Test. Part. I. Cap. III. p.* 38., ubi quaestio, *an Moses Pentateuchi fuerit auctor*, contra SPINOZAM, CLERICUM, RICH. SIMONIUM et TH. HOBBESIUM erudite tractatur atque affirmatur. Disquisitionem criticam *de auctore epistolae ad Ebraeos* instituі cum b. PRITIO in *Introduct. in lectionem N. Test. Cap. IV.* § *III. seq. p.* 45.

Quomodo libri integritas cognoscatur.

3) *Posterius* est, *an apographum libri respondeat suo αὐτογράφῳ* liberque, quem etiamnum tenemus, sit genuinus, non suppositicius: id quod maximam partem a decisione prioris disquisitionis de auctore pendet. Addi tamen poterunt sequentia signa fraudulentae suppositionis, ut sunt:

α) Si alia, quam qua auctor in aliis scriptis usus est, lingua vel de qua, an eam tanquam peregrinam cognitam habuerit, dubitare fas est, liber sit conscriptus. Sic e. gr. incertissimum est, an Salomo Graecam linguam calluerit, in qua liber *Sapientiae Salomonis* prostat; hinc jure dubitatur, immo vero etiam ex eo, quod in Graeco libri textu verba Graeca diu post Salomonis aetatem inventa reperiantur, recte negatur, librum esse genuinum Salomonis foetum.

β) Si stilus ab auctoris stilo aliunde noto nimium quantum differat; qualiscunque enim stili varietas, nondum dat plenum suppositionis indicium, cum sciamus, pro aetatis diversitate et pro diverso sermonis argumento diversum etiam unius auctoris stilum esse posse, id quod ex collatione stili in *priore* et *posteriore Petri epistola* adhibiti patet. Sed si discrepantia stili sit tanta, ut neque diversitas argumenti neque aetatis efficere eam posset, recte inde oritur suspicio fraudis, id quod in *epistolis Pauli ad Senecam* manifestum est.

γ) Si quae voces, res, historiae, doctrinae, opiniones, consuetudines in libro observantur, quae illo, quo auctor vixit aevo, adhuc erant ignotae atque inusitatae, ut fit in *libro Sapientiae*, cujus auctor Salomo esse ideo nequit.

δ) Si scriptores coaevi de fraude monent vel ex libro allegant, quae in libro, prout nunc habetur, non reperiuntur.

§ IV.

De *αὐθεντίᾳ* pericoparum in quibusdam codicibus omissarum.

Secundo, critica disquisitione opus habet exegeta, si qua pericopa sacri textus *νοθείας* accusatur et dubitatur, an sit genuina.

1) Loca, de quorum integritate et *αὐθεντίᾳ* inter criticos atque exegetas quaeritur et quae in N. Test. obviant, sunt *Marc.* XVI, 1. *seq.* de historia resurrectionis Christi, *Luc.* XXII, 43. 44. de sudore Christi sanguineo, *Io.* VIII, 1. *seq.* de adultera non condemnata, *Matth.* VI, 13. de *δοξολογίᾳ* in oratione Dominica, *Io.*

v, 4. de angelo piscinam Bethesdae movente, *Luc.* XIX, 41. de lacrimis Iesu, ac in primis 1. *Io.* v, 7. de S. S. Trinitate, de quibus egi ad PRITIUM in *Introduct. N. Test. Cap. III.* § *III. p.* 17—21. Add. vener. SEMLERI *Vindiciae lectionum praecipuarum N. Test. adversus* GUIL. WHISTONUM.

2) In Vet. Test. etiam loca quaedam ut hypobolimaea notari solent, *Deuter.* XXXIV. *Exod.* II, 22. *Gen.* IV, 8. *Deuter.* XXIII, 17. 18. XXXII, 42. etc., de quibus videatur GLASSIUS in *Philol. sacr. Lib. I. Tract. I. p. m.* 73. *seq.*, CALOVIUS in *Critic. sacr. p.* 417. et BUXTORFIUS in *Anticritica* sua, CAPELLO per omnia opposita.

3) Modus, quo *αὐθεντία* pericopae vindicari potest, praecipuus est, si ostenditur, dubiam et controversam pericopen 1) legi in codicibus et exemplaribus fide dignis, probis aliisque jure anteferendis, 2) legi in versionibus antiquis probatis, 3) legi in antiquissimorum ecclesiae doctorum scriptis, homiliis et commentariis 4) ipsamque textus sacri cohaerentiam docere, pericopen ad *συνάφειαν* historiae et doctrinae propositae pertinere et absque ea textum non cohaerere, 5) dubiam pericopen nihil aliis Scripturae locis vere adversum continere, sed cum his et cum veritate convenire.

§ V.

De glossematibus in Scriptura.

Tertio, postquam de totius libri et de totius pericopae integritate constiterit, interpres disquisitione critica ulteriore opus habebit in examine singularum vocum, phrasium atque commatum, sicubi de his dubium fuerit motum.

1) Duo potissimum sunt, quae criticum exercent in dijudicanda harum integritate et *αὐθεντίᾳ*, nempe *glossemata*, quae in auctoribus profanis interdum adjecta et ex margine in ipsum textum lapsu temporis translata reperiuntur, atque *variae lectiones* cum in V. T. tum in N. T. frequentes. Ne enim exegeta frustra in vocum phrasiumque expositione laboret, dum verum

Scripturae sensum ideo, quod vera lectione caret, invenire non potest, etsi se eum invenisse putet, ante omnia examinare debet lectionem sui codicis vel manu scripti vel typis aeneis excusi, ut ne falsam pro genuina amplectatur lectionem nec glossema admittat pro textu.

Glossema quid?

2) *Glossemata* sunt vocum aut phrasium difficiliorum explicationes in margine olim scriptae, posthac vel a scriba vel a dictante in ipsum textum illatae. Vid. IO. CLERICUS *de Art. critic. Part. III. Sect. I. Cap. VII. p. m.* 79. Quomodo autem ab ipso textu sint secernenda, sola ars critica docet. CLERICUS tria *loc. cit.* subsidia commendat, quorum ope sincera auctoris verba a glossemate discerni possunt, HEUMANNUS vero sex in *parerg. critic. p.* 33. proposuit. Mihi quidem videtur, laborem criticum hunc feliciter absolvi, si observetur, glossemata dignosci debere 1) ex collatione MSS. codicum, 2) ex evolutione versionum antiquarum, 3) ex citatione verborum ab aliis scriptoribus facta, 4) ex eo, si tautologia vitiosa adest manifesta, 5) ex eo, quod inter verba, quae glossema habentur, et inter ea, quae antecedunt et sequuntur, nulla est connexio.

An dentur glossemata in textu V. et N. Test.

3) An in S. codicis textu Ebraeo et Graeco, quem vulgata nostra exemplaria tradunt, glossemata deprehendantur, inter criticos et exegetas disputatur. Sunt qui affirmant cum CLERICO, BEZA, SIMONIO, BENTLEJO, WHISTONO, MILLIO, FABRO, WETSTENIO etc. et exempla allegant, ut, 1. *Io.* V, 7. *Gal.* IV, 25. 1. *Tim.* III, 16. *Marc.* X, 6. *Gen.* XXXIV, 15. *Exod.* XII, 40. XXI, 20. etc. Sunt etiam, qui glossemata ex nostris codicibus exulare omnia contendunt. Sed cautione opus erit, ut ne codicibus nostris et iis omnibus infallibilitatem putatitiam adscribamus, cum ex oculari inspectione MSC. pateat certissime, multos antiquos codices in margine glossas in difficiliores voces et phrases habere appositas, quae in textum irrepere potuerunt; potuerunt, inquam; an vero re

ipsa irrepserint, ars critica dijudicare debet ope criteriorum a me mox allatorum. Quod ad V. Test. attinet, in textu Masorethico vel Masoretharum, h. e., criticorum Judaeorum auxiliis servato vix ac ne vix quidem glossema ullum deprehendetur; nec in N. Test. editione BENGELIANA glossema ex textu eliminandum facile detegetur et, quae ab hyper-criticis supra citatis pro glossematibus jactantur, jure negantur talia esse, ut recentiores critici pii atque prudentes suis in operibus abunde docuerunt, et inter hos maxime BENGELIUS in *Apparatu Critico ad N. T.* et IO. CHRIST. WOLFIUS in *Curis Philol. ad N. Test.*

Variae lectiones V. Test.

4) *Variae lectiones* occurrunt et in Vet. Test. et in N. Test., quarum examen ab interprete ope critices sacrae instituendum est. Varias lectiones Vet Test. studiose collegerunt olim Masorethae hasque in margine annotatas קְרִי vocarunt, quemadmodum lectiones in textu servatas כְּתִיב nominarunt. Quaenam vero lectio sit anteferenda et, quomodo genuina lectio a spuria discernenda sit, auctores discrepant. Si quis varias variorum sententias nosse cupit, evolvat WOLFIUM in *Bibl. Ebr. Part. II. p.* 520., CARPZOVIUM in *Critica sacra Vet. Test. p.* 330—357., PFEIFFERUM in *Critic. sacr. Cap. V. Quaest. V. p.* 198., CALOVIUM in *Critic. sacr. p.* 373., BUXTORFIUM in *Anti-Critic. Part. II. Cap. IV.* Ego vero subscribo sententiae illorum, qui neque *Ketibh* neque *Keri* ubique vel rejiciunt vel defendunt, sed mediante critica sacra certis ex indiciis et causis veram et genuinam lectionem ex utroque eruere student.

Variae lectiones N. Test.

Variarum lectionum N. Test. insignis numerus est a IO. MILLIO summo et nunquam satis depraedicando studio collectus, etsi Deistae aliique hostes veritatis eo abutantur. Stupendus enim ille cumulus, qui ultra triginta millia excrescit et quem pro neganda textus sacri integritate allegant Deistae, mirum quantum imminuitur, si singulae lectiones ad suas classes referuntur, quarum prima est falso sic dictarum varian-

tium lectionum, quales sunt, quae ex manifesta vel scribarum vel typothetarum vel dictantium vel ex tempore dicta sacra allegantium ignorantia, oscitantia, incuria et negligentia ortae fuerunt. Quis enim errata typographica dixerit varias lectiones? Secunda classis est earum, quae quidem fide et auctoritate codicum nituntur, sed sensum nullo plane modo turbant, ita ut sensus dicti semper maneat idem, sive haec, sive illa lectio eligatur. Tertia classis est illarum, quae alicujus omnino sunt momenti ideoque criticam disquisitionem promerentur. Sed harum numerum esse admodum parvum et integritati N. Test. nullo modo obstantem, WHITBYI et BENGELII operae ad oculum demonstrarunt. Horum virorum labores si interpres sacer diligenter in N. Test. consuluerit, videbit, a MILLIO saepe praeter rem variantes lectiones cumulatas fuisse veramque a spuria lectione ope critices sacrae omnino discerni posse. Sed pluribus haec prosecutus sum in PRITII *Introduct. in lectionem N. Test. Cap. XXIX. p.* 367—383.

5) Regulas criticas, ad quarum normam examinandae sunt lectiones variae codicis sacri, dederunt bene multi, praesertim quoad N. Test. IO. MILLIUS, RICH. SIMONIUS, GER. VAN MASTRICHT, CHR. MATTH. PFAFFIUS, IO. ALB. BENGELIUS, BERRIMANNUS, BLACKWALLUS, MICHAELIS aliique; nec non sublestae etiam fidei viri, ut WHISTONUS, CAPELLUS, CURCELLAEUS, WETTSTENIUS etc. Nostrum autem institutum nunc non fert, ut prolixe et pro argumenti dignitate eas pertractemus, quare exegetam tantum ad criticorum scholas remittimus eidemque hanc insuper regulam generalem commendamus:

CANON GENERALIS.

Illa lectio est genuina, quae 1) *nititur auctoritate codicum probatissimorum, quae* 2) *cum contextu et* 3) *cum parallelismo convenit nec non* 4) *cum versionibus antiquis et* 5) *cum scriptis atque interpretationibus patrum.*

Vid. PRITIUS *loc. cit. p.* 375.

§ VI.

De interdistinctione et interpunctione S. textus.

Quarto, ab interprete interdum interdistinctio atque interpunctio vocum erit examinanda et, si opus fuerit, emendanda atque mutanda.

1) Interdistinctio atque interpunctio in Ebraeo textu V. Test. est facilior, siquidem ope punctorum et accentuum a S. Spiritu per viros θεοπνεύστους adscriptorum utraque absque difficultate dignoscitur. Equidem non nescio, multos de divina origine punctorum et accentuum Ebraeorum dubitare, quibus autem adstipulari nequeo ob rationes a circumspectis criticis et theologis passim allegatas et expositas. Sunt divinae auctoritatis, in qua exegeta acquiescit, dummodo de genuina lectione satis constiterit. Vid. vener. CARPZOVIUS in *Critic. sacr. V. Test. p.* 243., LOESCHERUS de *causis linguae Ebr. Lib. II. Cap. V.*, WASMUTHUS, BUXTORFIUS, PFEIFFERUS ac alii quam plurimi scriptores hoc de argumento olim commentati. Recentioris auctoris Belgici AGGEI HAITSMAE, nec non saeculi XVII. scriptoris Anglici GUIL. ALABASTRI somnia de nova vocum quarundam Ebraearum interdistinctione parum curet interpres, quippe qui frustra laborant, si difficilioribus locis V. T. lucem afferre ausi sunt, dum, quae in omnibus codicibus junctim in una voce leguntur, dividunt in duas pluresve et, quae divisa sunt, denuo conjungunt sicque novas et inauditas voces et opiniones protrudunt. Quos temulentissimos ausus hoc magis detestamur, quo certius est, iis non modo sacram Scripturam, sed et quamcunque aliam scripturam ut cereum nasum flecti et reflecti et in Lesbias regulas transmutari posse.

De interpunctione N. Test.

2) Interdistinctio atque interpunctio N. T. debita cautione critica est ubique examinanda, quia certissimum est, a viris θεοπνεύστοις scriptum fuisse absque omni vocum distinctione et absque omnibus accentuum et cujuscunque interpunctionis notis atque signis, prouti in PRITIANA *Introductione in N. Test. Cap. XXVII.*

§ *V.* *p.* 358. probare studui. Add. IO. ALB. FABRICII *Biblioth. Graec. Lib. IV. Cap. V. p.* 221. Neque nunc mentem istam meam muto, cum ocularis inspectio codicum antiquissimorum et fragmentorum apud MONTFAUCONIUM in *Palaeogr. Graec.* passim exhibitorum omnes satis superque de asserti veritate convincat, quicquid etiam alii cum ROGALLIO, sed contra ocularem fidem, obvertant. Conf. VOSSIUS *de poematum cantu et viribus rhythmi p.* 15., HENNINIUS in *diss. paradox. ελλην. ορθωιδ.* § *LVIII.* De necessaria vocum interdistinctione qua singulas syllabas et harum vel distinctionem vel conjunctionem dixi antea *Lib. III. Cap. VI.* § *III. Reg. II. p.* 188. 189.

Canon generalis.

Sed de interpunctione, quae fit per puncta, cola, commata et alia recentiora signa interrogationum, exclamationum et parenthesium adhuc ex criticis regulis repetendum est, quod illa sit genuina, quae 1) cum *contextu*, 2) cum *parallelismo*, 3) cum genio *linguae* et *stili* convenit. Addunt quidam, a vetustiore tunc, cum facilior sit nova, recedendum esse; sed cum non omne, quod intellectu facilius, etiam cum auctoris mente semper cohaereat, facilitas sola novam lectionem antiquiori non anteponit, sed alia superaddenda sunt fortiora innovationis suscipiendae argumenta.

3) Exempla et falso et merito suspectae interpunctionis dabunt critici perquam multa, quae singula sacer interpres diligenter examinet, ut verus S. Spiritus sensus et intentio extra omnem dubitationem ponatur. Ego vero nonnulla nunc afferam, ut tyrones habeant, in quibus vires suas periclitentur, praeter illa, quae jamjam in PRITIANA *Introductione pag.* 362. 363. allata a me fuere atque excussa, nempe *Luc.* III, 23., *Gal.* III, 23. *Io.* XVI, 26. *Phil.* IV, 12. Illustre est testimonium de divinitate Iesu, *Rom.* IX, 5., quod Sociniani per falsam interpunctionem ita enervare student, ut postrema verba *ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμήν*, in *δοξολογίαν* convertant atque sic non ad Iesum, sed ad Deum Patrem referant et a prioribus verbis, *Χριστὸς τὸ κατὰ σάρκα*, distinguant interposito puncti vel coli signo; cum in nostris editionibus, et quidem recte, conjuncta legantur. Eadem

Socini turba lacessit testimonium de animarum pie decedentium proximo transitu in vitam aeternam, *Luc.* XXIII, 43. ita, ut verba, *'Αμὴν λέγω σοι σήμερον*, conjungat et *τὸ σήμερον* per colon a sequentibus distinguat, ut sensus esset verborum Christi: *'Αμὴν λέγω σοι σήμερον*, *amen, dico tibi* HODIE, non, *hodie mecum eris in paradiso*, ut consueta habet interpunctio. Macedoniani haeretici, cum probare vellent, S. Spiritum esse creaturam, dispungebant atque separabant verba postrema versus *tertii* in *primo* Ioannis capite et ad comma sequens quartum referebant hoc modo: *Καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἕν. Ὃ γέγονεν ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν, καὶ ἡ ζωὴ* etc. Haec pessima interpungendi ratio etiam ab Arianis, immo vero etiam a quibusdam orthodoxis parum cautis admissa fuit, etsi CHRYSOSTOMUS eam dudum asterisco notasset. Vid. LAMPIUS in *Commentar. in Ioann. Tom. I. p.* 299. In his et aliis ab errantibus dudum lacessitis interpunctionibus interpres nervos suos intendere debet, ut malitiae resistat et verum Scripturae sensum a pseudo-criticorum cavillationibus et corruptionibus vindicet. Sunt et alia loca N. Test., quorum interpunctio in dubium vocari solet ab his, qui caetera recte sentiunt, sed in his saltem locis exponendis adhuc haerent. Sic e. gr. vexata quaestio est de loco Pauli, 1. *Tim.* III, 15. 16., an *στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας* ad antecedentia verba, *ἥτις ἐστὶν ἐκκλησία Θεοῦ ζῶντος*, referri debeant, an minus. Item, de verbis Ioannis baptistae, *Matth.* III, 3., disputatur, an sit legendum, *φωνὴ βοῶντος ἐν τῇ ἐρήμῳ· Ἑτοιμάσατε τὴν ὁδὸν Κυρίου*, ut vulgo, an vero praestet interpunctio sequens: *Φωνὴ βοῶντος. Ἐν τῇ ἐρήμῳ ἑτοιμάσατε τὴν ὁδὸν Κυρίου*, quae posterior respondet accentibus Ebraeis, *Esa.* XL, 3. In his et aliis ejusmodi locis interpres sacer *canonis generalis* mox suppeditati memor sit et ad hujus normam quaestiones pia mente decidat.

LIBRI III.

CAPUT OCTAVUM

DE

SUBSIDIIS RHETORICO-EXEGETICIS.

---

§ I.

Cum usus troporum et figurarum in S. Scriptura sit frequentissimus, juvabit interpretem sacrum, ea, quae de stilo et de tropis et figuris in rhetorica tradi solent, nosse piaque mentis attentione ad exegesin biblicam transferre.

Qui eloquentiam divinam virorum ϑεοπνεύστων ad praecepta rhetorica profanorum hominum, gentilium etiam, examinare volunt, nae illi errant vehementissime, quia inter divina eloquia et humana non potest non esse discrimen summum. Optavit b. VAL. ERNEST. LOESCHERUS, ut quis componeret rhetoricam biblicam ex usu biblico conformandam; nec male, siquidem in profanis rhetorum scholis varia traduntur, quibus exegeta biblicus tuto carere potest, forsitan et desiderantur, quibus idem exegeta opus maxime habet. SAL. GLASSIUS princeps est, qui *Rhetoricam Sacram,* quae *Philologiae Sacrae Librum quintum* constituit et ab HERWARTO in compendium missa est, conscripsit inque hac tam tropos quam figuras ex S. codice collegit atque explanavit.

§ II.

Ex iis, quae *de stilo* et de diversis dicendi generibus traduntur in rhetorica, exegeta sibi parat ideas diversi stili, etiam in diversis S. codicis scri-

ptorum *θεοπνεύστων* libris obvii, unde *characteristicas notas*, tam generales quam speciales, concipiat.

De stilo in S. Scriptura diverso.

1) Utuntur sacri scriptores diversis dicendi generibus, siquidem S. Spiritus per divinam *συγκατάβασιν* sese accommodavit ad naturalia cujusque amanuensis sui dona. Quo factum est, ut *Esaias* grandi orationis genere et florido, *Ieremias* humili, *Ezechiel* difficiliore, *Hosea* elliptico et profundo, *David* et *Salomo* sententioso et sublimi, *Ioannes* Apostolus aphoristico et tenui, *Paulus* intricatiore et sublimiore, *Petrus* clarissimo et intellectu facillimo, alii alio dicendi genere uterentur. Conf. GLASSIUS in *Philol. sacr. Lib. I. Tract. III. et IV. p. m.* 312. *seq.* Quin immo etiam in uno eodemque scriptore sacro diversitas stili nonnunquam observatur, cum primis pro diversitate rerum, de quibus scripserunt. *Moses* in condenda historia planus est et simplex, sed in hymnis et orationibus sublimis, floridus, vehemens, sententiarum plenus, figurarum et troporum studiosissimus. Vid. *Exod.* XV. *Deuter.* XXXII. *Psalm.* XC. XCI.

Notae characteristicae stili sacri generales.

2) Ex his diversis stili generibus certas sibi parat exegeta notas characteristicas, quae in *generales* atque *speciales* dividuntur. *Generales* sunt, quae stilum sacrum in omnibus libris S. codicis adhibitum in genere spectant atque continent: Ut est,

1) Εὐκοσμία vel *εὐφημισμός*, h. e., *verecundia* stili, qua res in se turpes verbis verecundis, neminem offendentibus, sed conscientiis lectorum et auditorum parcentibus circumscribuntur.

2) *Claritas et perspicuitas*, quae lectores de rebus divinis, cognitu ad salutem necessariis, ita instruit, ut simpliciores etiam sensum capere possint.

3) *Efficacia* singularis, quin et divina, quam AUGUSTINUS *Lib. III. Confess. Cap. V.* olim contempserat, cum putaret, cum Tulliana dignitate comparandam non esse eloquentiam Apostolorum, posthac vero

summis laudibus extulit in *Lib. de Doctrina Christ. Lib. IV. Cap. VI.* et sua confessione tanquam exemplo optimo celebravit.

4) *Certitudo* et evidentia, quae animum lectoris et auditoris ita de eo, quod docetur, instituit, ut dubitare nequeat, utrum mentem Dei recte et plene perceperit.

5) *Puritas stili* a barbarismis et soloecismis libera horumque immerito accusata.

6) *Elegantia* et pulchritudo, quam BLACKWALLUS in *Crit. Sacr. N. T.* nostra potissimum aetate ita demonstravit, ut saepe ne in excellentissimis quidem profanis oratoribus et poëtis illae deprehendantur elegantiae atque veneres, quae in N. Test., quidni et in V. Test. subinde obviant. Add. BERGERI *dissert. de γλυκύτητος sacrae vi.*

7) Simplex *sublimitas* et sublimis *simplicitas* illa, quam ubique in S. Scriptura ut τὸ θεῖόν τι admiramur.

Notae speciales stili sacri.

8) Praeter has generales notas characteristicas *speciales* etiam cujusque auctoris dantur ab interprete diligenter notandae. E. gr. Paulus Apostolus peculiare habet dicendi genus variis notis characteristicis praeditum, quas in *Introduct. in epist. ad Galat. Part. II.* § *XII. p.* 101. 102. et in *Introduct. in epist. ad Coloss. Part. II.* § *VIII. p.* 203. 204. exposui. De stilo *Ioannis* legatur FLACIUS in *Clav. Script. Tom. II. Tract. V. p. m.* 393. De stilo cujuslibet scriptoris sacri Vet. Test. egit etiam diligentissime vener. CARPZOVIUS in introductionibus in singulos libros biblicos V. Test. datis. Add. SAL. GLASSIUS in *Philol. Sacr. Lib. I. Tract. IV. p.* 311. *seqq.*

§ III.

De tropis in Scriptura obviis.

Tropi in sacris libris V. et N. Test. observantur quatuor, *metaphora*, *metonymia*, *synecdoche*, *ironia*, qui semper ita sunt explicandi, ut propria verborum figuratorum significatio eruatur atque demonstretur.

Methaphora.

1) *Metaphora* est tropus, qui in sacris literis omnium frequentissimus est, unde etiam GLASSIUS aeque ac FLACIUS prolixissimum dederunt catalogum locorum metaphoras et schemata continentium, qui adhuc augeri posset, si opus esset. Ego vero interpreti nostro ostendam nunc modum, quo singulae metaphorae biblicae erunt explicandae et ad propriam elocutionem reducendae. Nimirum, in omni metaphorae explicatione considerari debet,

α) *Res, unde metaphora desumta* et quacum alia res comparata fuit; nisi enim interpres perspectam habuerit rem, unde metaphora petita fuit, qui poterit id, in quo res cum re confertur, explicare? Finge, interpretem ignorare, quid sit in se spectata *πανοπλία* illa, gravis armatura, cujus Paulus *Eph.* VI, 11. meminit, qui poterit is ostendere, in quo spiritualis *πανοπλία*, ab homine Christiano usurpanda et induenda consistat?

β) *Scopus metaphorae*, qui ex iis, quae supra de scopo specialissimo *Lib. III. Cap. IV.* § *XIII. p.* 162. disserui, dijudicandus est.

γ) *Tertium comparationis* seu convenientia inter comparata; ubi tamen cavendum est, ne tertia comparationis, ut vulgo fieri solet et a BOTSACCO, PICINELLO, FESSELIO, MOMMA, BAYMANNO saepe factum est, praeter omnem necessitatem cumulentur nec ultra, quam NB. *scopus metaphorae* fert, protendantur. Haec tria si quis rite adhibuerit, significationem cujuslibet vocis metaphoricae facile inveniet nec opus habebit, ut plura et specialiora de *ἀνθρωποπαθείᾳ* seu de rebus et actionibus humanis Deo adscriptis monita accipiat.

2) In explicatione *metonymiae*, *synecdoches* et *ironiae* vel eodem modo, quo in mataphorae expositione, vel etiam hoc sequenti, si placet, versabitur interpres, ut 1) rem voce illa, quae tropum continet, signatam explicet, 2) rem per tropum signatam afferat atque sic 3) de significatu removendo aeque quam de ponendo lectorem informet. E. gr. *Ps.* LXXXIV, 2. leguntur verba: *Quam amabilia sunt atria tua*, in quibus vox ATRIA habet synecdochen partis pro genere;

nam totus cultus Leviticus publicus Deo in templo et in tabernaculo exhibitus ab hieropsalte significatur. Sed, ut hunc significatum exegeta auditoribus distincte demonstret, opus est, ut 1) *atria* illa vel tabernaculi vel templi Hierosolymitani describat et quasi depingat, 2) *cultum* publicum totum Deo in his atriis exhibitum repetat atque sic tandem ad 3) proprium verborum allegatorum sensum concludat.

§ IV.

De figuris dictionis et sententiis.

Figurarum cum *dictionis* tum *sententiae* in rhetorum libellis nominatarum omnes et singulae in sacris literis obviant; hinc exegeta dignoscat eas sedulo et *emphases* in iis latentes *affectus*que iisdem expressos attente ponderet et in explicatione exhibeat.

1) De discrimine figurarum seu σχημάτων dictionis et sententiae optime commentatus est IO. GER. VOSSIUS *Lib. V. Instit. orator. Cap. I. Tom. II. p. m.* 257., qui etiam una cum caeteris rhetorices praeceptoribus nomina singularum earundemque descriptiones tradidit, unde haec exegeseos studiosus repetere debet. Quod si vero loca S. Scripturae, in quibus hae figurae extant, evolvere cupiat, evolvat GLASSIUM in *Philol. sacr. Lib. V. Tract. I. Cap. I. p.* 1990. et DIETERICI Institutiones Rhetoricas, ubi magnum eorum acervum videbit congestum.

2) Unum hoc inculcamus denuo exegetae, ut ne putet, ullam figurarum absque ratione a S. Spiritu fuisse adhibitam, sed potius in omni dispiciat vel de *emphasi* vel de *affectu*. Conferantur, quae supra *Lib. III. Cap. III. § VIII. num. IX. p.* 122. de emphasibus et *Lib. III. Cap. IV. § XIX. num.* 3. *p.* 169. et *§ XXI. num.* 7. *p.* 174. de affectibus eruendis monuimus. Sunt enim figurae κριτήρια seu indicia, quae de emphasi et affectu monent; ipsa vero emphasis cum affectu ex contextu determinari debet et pro diversitate circumstantiarum variat, unde nec certis regulis spe-

cialioribus includi potest, etsi nonnullae vulgatae existant; e. gr.: *Omnis interrogatio vel fortius negat vel fortius affirmat* etc.

§ V.

Finiam hanc de rhetorico-exegeticis subsidiis tractationem una hac regula generali:

REGULA.

Regula generalis.

Cave, ne tropos et figuras fingas, ubi tales non sunt.

1) IO. CLERICUS in *Art. Critic. Part. II. Sect. I. Cap. VII. p. m.* 206. idem monuit de tropis, sed aliis verbis: *Propriam vocum significationem cum tralatitia non esse confundendam;* nec erit facile qui regulae non subscribat, etsi in applicatione regulae saepissime et verissime peccetur fere ubique. Hinc opus erit, ut ea, quae supra *Lib. I. Cap. II.* § *V. Reg. II. p.* 23—27. docui, diligenter inculcentur, ne vocum significatio impropria cum propria confundatur verusque sensus S. Scripturae negligatur.

2) Idem vitium fugiendum est in eruendis et indicandis figuris, ne e. gr. interrogationes, occupationes, prosopopoeiae etc. fingantur, ubi non adsunt; quia alias falsis et fictis figuris superstruendae etiam forent fictae emphases fictique affectus scriptorum sacrorum, quae omnia absque summa in verum Scripturae sensum injuria nequaquam fierent. Hinc exegeta, quoties figuram rhetoricam in textu adesse contendit, fundamentum asserti sui caute ponat et demonstret.

LIBRI III.

CAPUT NONUM

DE

SUBSIDIIS LOGICO-EXEGETICIS.

---

§ I.

Utilitas logices in sacra exegesi.

Ex toto quidem ambitu philosophiae varia subsidia in sacram exegesin desumi posse, constat inter omnes; maxime tamen *logica* interpreti multis modis utilis est, quippe quae docet, qua ratione versandum sit

1) in *propositionum* seu thesium explicatione reali qua subjectum, praedicatum, utriusque connexionem et additamenta utriusque,

2) in *argumentorum* pro thesi confirmanda allatorum inventione et deductione,

3) in ἐναντιοφαινομένων *conciliatione*,

4) in textuum *analysi* et dispositione,

5) in sensus veri (tam qua verba quam res) *demonstratione*

6) ejusdemque *applicatione*.

Abusus philosophiae in S. exegesi vitandus.

Multum et eximium usum praestare logicam in exegesi sacra, ex his a me adductis capitibus apparet. Est tamen sedulo circumspiciendum, ne quis *vitio philosophismi exegetici* indulgeat nec in devia deducatur, prouti bene monuit b. ROM. TELLERUS in progr. *de philosophismo exegetico*, Lipsiae anno MDCCXXXVIII. edito. Est enim abusus philosophiae in rebus ad fidem spectantibus varius et homini lapso connatus, quippe qui non aliter potest, quam ubique Deo reclamitare et repugnare, *Eph.* II, 3. *Rom.* VIII, 6. 7. Praecipuus autem abusus in eo manifestatur, si quis usum rationis et logices organicum cum principiativo confundit suamque logicam et artem cogitandi pro norma et principio omnis exegeseos sacrae jactat, cum ex *Lib. III. Cap. I. § VII. p.* 93. constet, rationem humanam non esse principium theologiae exegeticae, sed habere tantummodo usum in exegesi instrumentalem ipsamque subjective consideratam per sacrae exegeseos regulas emendari debere atque illustrari.

Realis verborum exegesis.

In reali explicatione *propositionum* biblicarum attendere debet exegeta ad ea, quae certam cognitionem dant *subjecti*, *praedicati*, et ad hujus utriusque *connexionem* et quae his insuper *addita* sunt.

§ III.

De subjecto et praedicato.

In *subjecti* et *praedicati* determinatione atque descriptione sequentes regulae erunt observandae:

REGULA I.

De subjecti investigatione.

Cura exegetae omnium prima sit, ut doceat, quodnam sit subjectum propositionis et, utrum proprie et literaliter, an improprie et mystice sit accipiendum.

Subjectum propositionis in textu sacro vel nominatur κατὰ τὸ ῥητόν suo nomine vel minus. Si appellatur suo nomine, dispiciendum est, 1) utrum proprie vel improprie, 2) utrum literaliter vel mystice sit accipiendum. Quod si vero κατὰ τὸ ῥητόν in textu non nominatur, ex contextu cognoscendum, supplendum et exponendum erit. E. gr. *Esa.* XLIX, 6. dicit propheta: *Etiam te caeteris gentibus lumen dabo*, ut vertit CASTELLIO. In horum verborum explicatione primum est, ut interpres quaerat, an propheta de se ipso loquatur an de alio; et cum in proxime antecedentibus verbis subjectum suo nomine appelletur, nempe עֶבֶד, *servus Jehovae*, dispiciendum porro est, an notio servi sit proprie an improprie, literaliter an mystice accipienda. Sed haec nonnisi ex contextu dijudicari poterunt et ex illis *characteribus*, quae in textu obviant, de quibus *Lib. III. Cap. IV.* § *X. Reg. III. p.* 151. disserui.

REGULA II.

Talia ubique sunt subjecta intelligenda, qualia permittuntur a suis praedicatis.

1) Regulae veritas et certitudo jacet in aprico. Est etiam universalis, sese ad omnia quaecunque scripturae et scriptorum, immo vero etiam loquentium genera extendens. Hinc omnium maxime ad eam attendere debet exegeta indeque solutionem quaestionum in *Reg. I.* antecedenti propositarum depromere; etenim ex solis praedicatis determinari potest, an subjectum orationis sit proprie vel improprie, literaliter vel mystice accipiendum. Conferantur, quae supra *Lib. I. Cap. II.* § *V. p.* 25. hac de re disputavimus. Conf. RAMBACHIUS in *Instit. hermen. sacr. Lib. II. Cap. VII.* § *XVI. p.* 293. 294.

2) Quod si interpres animadvertit, praedicata convenire subjecto ex parte, non ex toto, ulterius de subjecto alio dispiciat, potissimum in textibus propheticis, in quibus complementa circumstantiarum singularum etiam minutissimarum ostendi debent. Nam, nisi omnes circumstantiae accurate et plene in id, quod mente concepit, subjectum quadrent, certus de sensu

nondum erit, sed ad aliud vel *literaliter* vel *mystice* vel per *amplitudinem sensus* transire debet, uti jam antea *Lib. I. Cap. III.* § *XII. Reg. II. n. γ. p.* 60. et *Lib. III. Cap. III.* § *V. Reg. IV. p.* 112. monuimus.

REGULA III.

Subjectum propositionis neque ex solo situ et ordine neque semper ex articulo est dignoscendum.

1) Notissimum est, ordinem verborum naturalem in oratione saepe mutari tam per consuetudinem quam per elegantiam; hinc fieri solet, ut subjectum modo prius suo praedicato, modo posterius sit absque sensus ipsius variatione. Unus enim idemque manet sensus, sive dixeris, ὁ λόγος ἦν Θεός, sive, Θεὸς ἦν ὁ λόγος, *Io.* I, 1., quemadmodum etiam in Latina phrasi, *verbum caro factum est*, nihil quoad sensum mutatur, si dixeris, *caro factum est verbum*. Igitur erraret interpres, si ex solo situ subjectum a praedicato discernere autumaret.

2) Ex articulo praepositivo, ὁ, ἡ, τό, et ex ה demonstrativo interdum quidem, sed non semper dignosci poterit subjectum, quia articulus aeque additur praedicato quam subjecto, ut contra SANCTIUM et RIBERAM exemplis pluribus ostendit GLASSIUS in *Philol. sacr. Lib. III. Tract. II. Can. IV. p. m.* 702. 703. In verbis Ioannis Evangelistae, καὶ Θεὸς ἦν ὁ λόγος, *Cap.* I, 1., articulus omnino designat subjectum; sed nequaquam solus, multo magis contextus συνάφεια, quippe quae clare docet, subjectum principale totius orationis prooemialis esse τὸν λόγον, unde etiam in citatis verbis verum testimonium Ioannes perhibet de divinitate τοῦ λόγου. Consimili modo in *Zach.* XII, 10. (*plangent, quemadmodum de filio unigenito*) notio *unigeniti* per ה demonstrativum accipit signum subjecti emphaticum, unde recte colligitur et per textus cohaerentiam confirmatur, quod de Messia, unigenito Dei filio, sit cogitandum, prouti docuit IO. ADOLPH. LAMPIUS in *Comment. in S. Ioann. Tom. I. p.* 371.

REGULA IV.

De subjecti et praedicati explicatione.

In descriptione reali subjecti sufficit, si ab interprete illa, quae respectum vel relationem habent ad praedicatum, afferuntur et vice versa.

Opponitur haec regula excursionibus et digressionibus multorum exegetarum, qui et in libris suis exegeticis et in sacris concionibus omnia conglomerant, quae modo de subjecto dici aut somniando cogitari poterant, unde saepe talia in explicatione dictorum S. Scripturae congesta et obtorto collo adducta deprehenduntur, ut prolixus quidem et inopinatus, sed ineptus et cum mente Domini minus connexus cumulus verborum atque rerum adsit: cujus artis magistri sunt LORINUS et CORNELIUS A LAPIDE, alii. In haec devia ne dilabatur exegeta noster, monemus in regula, nihil de subjecto in explicatione dicti cujusdam biblici esse afferendum, nisi quod cum praedicato cohaereat; sic enim omni garrulitati medicina in tempore affertur. Hinc, si *persona, loci circumstantia temporis*que, *actio, res* (vel quaecunque alia *notio*) describenda est, non singula, quae dici poterant, sed ea tantum, quae pro praedicati natura erant dictu necessaria, afferantur. E. gr. *Esa.* LI, 2. mentio fit *Abrahami et Sarae*, ex quibus originem suam traxit immensus populus Judaicus; sed opus hic non est, ut totum vitae curriculum Abrahami et Sarae commemoretur, sed satis erit, hoc maxime repetiisse, quod olim fuerint *solitarii*, i. e., nonnisi duae personae, postea autem adeo sit prognata gens ex duobus his hominibus, quae numerari nequeat. Exinde enim emergit solatium illud, quod h. l. Deus populo suo ad paucitatem redacto et afflicto dare voluit.

REGULA V.

Si subjectum vel praedicatum est notissimum et familiare, superflua erit ejusdem explicatio, nisi singularis adsit ratio.

Qui definitionum novarum fuco delectantur nostra aetate idque, quod in logica de necessitate definitionum recte monetur, haud rite intelligunt, saepe in definiendis rebus notissimis frustra laborant hisque suis definitionibus explicasse se ea putant, quae tamen absque iis multo rectius et citius intelligebantur. Huic errorum turbae ne associetur exegeta, in regula monemus, quid enim opus esset, ut definiret, quid sit *pater*, *mater*, *filius*, *ventus*, *stella*, *panis*, *pes*, *manus*, *capillus* etc., cum quilibet infans intelligat et sciat, quid istis nominibus proprie significetur.

§ IV.

De nexu subjecti et praedicati.

In explicatione reali pergit interpres sacer ad *nexum*, qui est inter subjectum et praedicatum, et regulas sequentes observat.

REGULA I.

Cum omnis biblica propositio sit vel affirmativa vel negativa, ubique ratio est alleganda, propter quam praedicatum vel cum subjecto cohaereat vel ab eo differat.

1) In affirmativa propositione ostenditur, quomodo subjectum cum praedicato vel *jure* cohaerere debeat et possit, vel etiam *facto* tantum cohaereat, non jure. Quando *Rom.* VIII, 7. φρόνημα τῆς σαρκός dicitur ἔχθρα εἰς Θεόν, exponat interpres tam, qui fiat, ut talis adsit inimicitia, quam etiam, utrum jure adsit an minus. Quando 1. *Io.* I, 7. de sanguine Iesu Christi praedicatur, quod nos emundet ab omni peccato, interpretis erit, adducere causam, cur sanguini huic tam saluberrima vis et efficacia adscribi et possit et debeat.

2) In negativa propositione biblica pari modo versetur exegeta, ita ut et de jure et de facto negationis disserat et utrumque pro rei cujusque natura clare exponat.

REGULA II.

De ampliatione et restrictione propositionum biblicarum.

Propositiones quaedam biblicae sunt vel restringendae vel ampliandae pro materia (ut ajunt) substrata, quam vel contextus vel parallelismus suppeditat.

1) Gravem regulam, nunquam sine grano salis applicandam hic propono, sed veritati consentaneam et multis exemplis innixam; occurrunt enim in S. codice aeque ut in aliis scriptoribus subinde propositiones, quae primo obtutu *universales* esse videntur, sed accuratius consideratae tantum *restrictivam* significationem habent. E. gr. Ioannes baptista negat, *Io.* I, 21., se esse *Eliam*, cum tamen Iesu ipso affirmante, *Matth.* XI, 14., sit *Elias*; negat vero non simpliciter, sed secundum quid, hoc est, cum restrictione atque limitatione; nimirum, se non esse ipsum illum Eliam, quem Judaica superstitio ex mortuis in vitam rediturum credebat. *Ps.* XXII, 8. conqueritur Messias crucifixus, quod *omnes* spectatores sannis capitisque nutu ipsi illudant; sed Mariam, Ioannem aliosque Christo addictos Iesum etiam in cruce vidisse nec tamen ipsi illusisse, quis est, qui ignoret? Igitur illud *omnes* vel *quicunque* necessario cum limitatione accipi debet, etsi a potiore fiat denominatio. Porro, *Luc.* XXIV, 44. Christus dicit discipulis: Haec sunt illa, de quibus sum locutus, *cum adhuc vobiscum essem*. Nonne, quaeso, Christus, cum hoc diceret, etiam erat cum discipulis suis? Omnino cum iis erat, sed non eo, quo antea, modo, nempe non in illo humili, in quo antea cum ipsis fuerat, exinanitionis suae statu. Ionas propheta comminatur, quod urbs Ninive sit post quadraginta dies interitura: *Adhuc quadraginta dies et Ninive subvertetur*. *Ion.* III, 4. Sed quis nescit, subintelligendam esse restrictionem, nisi interea poenitentiam egerit et ad fruges redierit. Exempla plura allegare possem, sed brevitatis causa provoco ad SAL. DEYLINGIUM in *Observ. sacr. Part. V. Exercit. XIX. p.* 248.

2) Cautione opus erit, *ne restringantur, quae restringenda non sunt, sed in sua amplitudine accipienda.* IO. CLERICUS in *not. ad Hammond. N. Test.* falsam addit restrictionem verbis Iesu, *Matth.* XI, 28., solatii plenissimis, et per τοὺς κοπιῶντας καὶ πεφορτισμένους intelligendos esse solos Judaeos contendit, quos κοπιῶντας vocari putat, *fessos*, ob frequentia itinera Hierosolymam olim facienda, et πεφορτισμένους, *oneratos*, ob jugum et impositum onus legum caerimonialium Vet. Test. Sed cum Christus in genere loquatur cum omnibus, qui doctrinam suam sint accepturi hisque veram animi ἀνάπαυσιν polliceatur, facile patet, restrictionem CLERICI locum non habere. Sunt qui phrasin לִפְנֵי יְהוָה, *coram facie Jehovae*, 1. *Sam.* XI, 15., ad arcam foederis restringunt; sed cum nemo ad hanc arcam accedere debuerit, nisi summus sacerdos uno quotannis stato die, dicto autem loco accessus ad faciem Domini omnibus promiscue Israëlitis imperetur: patet, de sola arca foederis cogitandum non esse, sed de toto templo, quod nomine faciei Jehovae alibi etiam venit, *Exod.* XXV, 30. *Num.* V, 16. Plura exempla restrictionis minus fundatae dedit DEYLINGIUS in *Observ. sacr. Part. V. num. XVIII. p.* 235. Huc etiam pertinet notissima controversia de sensu legum divinarum *de gradibus prohibitis, Lev.* XVIII. *et* XX., sintne ad solas a Mose nominatas personas restringendae, an vero ad gradus, h. e., ad omnes alias personas pari cognationis vinculo junctas extendendae. Nos *posterius* affirmamus nixi prohibitione generali, *Lev.* XVIII, 6., quae profecto adeo prohibet universaliter et in genere omnes et singulas nuptias propinqua cognatione conjunctorum, ut mirum sit, lege universali ex subsequentibus paucis exemplis restrictionem addi velle, alia ut nunc taceamus argumenta, quae abunde docent, restrictionem in his legibus adesse nullam.

REGULA III.

De propositionibus exclusivis.

Propositiones exclusivae excludunt contraria, non subordinata nec conjuncta.

David in precibus suis *Ps.* LI, 6. dicit, se in solum Deum peccasse: *Tibi,* לְבַד, *soli peccavi.* Sed peccaverat etiam in Uriam et in Bathsebam, uxorem Uriae; hos itaque non excludit David, sed includit; Deum vero per excellentiam nominat, tanquam summam personam, quam suo crimine offenderat. Unde etiam GLASSIUS non male observavit, *particulam* לְבַד, SOLUM, *μόνως, non semper exclusionem, sed et excellentiam indicare, p. m.* 1007. De eodem Davide affirmat S. Spiritus, 1. *Reg.* XV, 5., *quod a nullo praecepto per omnem vitam recesserit praeterquam in Uriae Hettaei facinore;* ad quae verba HUGO GROTIUS: *Exorbitaverat quidem,* inquit, *et aliis rebus nonnullis, sed de tota via pietatis non decesserat, nisi uno illo tempore, cum adulterium caede cumulavit.*

REGULA IV.

De propositionibus conditionalibus.

Propositio conditionalis, si adjectam habet impossibilem conditionem, habetur pro simpliciter et cum emphasi negante.

Servus ille inutilis *Matth.* XVIII, 34. non prius dicitur exiturus ex carcere, ἄχρις οὗ, DONEC *ultimum obolum solverit.* Sed summa aeris alieni contracti erat tanta, ut in viribus ejus nunquam esset, ad ultimum usque obolum id solvere et restituere; igitur adjecta conditio impossibilis simpliciter negat, eum unquam esse ex carcere rediturum. Idem judicarem ego quidem de verbis Iesu, *Matth.* XXIII, 39., ubi Christus praedixit, Judaeos se in templo Hierosolymitano visuros amplius non esse, *usque dum dixerint: Benedictus* etc. Sed Judaei in illo templo, in quo eum porro non viderunt ab isto tempore, nunquam dixerunt δοξολογίαν Christo nostro; igitur spes illius universalis Judaeorum conversionis in hac praedictione firmum fundamentum non habet.

REGULA V.

In quibusdam propositionibus biblicis inter se proxime conjunctis observetur GRADATIO, *per quam vel ascendit vel descendit oratio.*

Vid. RAMBACHIUS in *Instit. hermen. sacr. Lib. I. Cap. VI. § XV. p.* 248., ubi ex VITRINGA adduxit exempla quaedam ex *Esa.* XLI, 10. 20. 26. XL, 31. XLIII, 7. XLIV, 7. *Hos.* IX, 11.

§ V.

His singulis ita expositis progreditur exegeta in explicatione singularum propositionum ad ea, quae vel subjecto vel praedicato vel toti propositioni addita leguntur.

Talia sunt 1) *epitheta*, 2) *adverbia* et 3) *connexiones verbales*, de quibus singulis jam egi *Lib. III. Cap. III. § XI. Reg. III. p.* 127. et *Lib. III. Cap. IV. § V. p.* 139.

§ VI.

De argumentis in S. Scriptura allatis.

A theseos explicatione pergit exegeta ad *argumentorum* pro confirmatione theseos allatorum inventionem atque deductionem.

1) Argumentis DEUS O. M. in suo verbo opus plane non habuisset, sed simpliciter et absolute ab hominibus postulare potuisset, ut ipsi nude rem affirmanti et praecipienti crederent atque obedirent; vi enim suarum perfectionum divinarum omnes convicti sunt mortales, DEI verbis fidem esse habendam iisdemque obedientiam praestandam, quia non nisi vera et bona eloqui potest. Sed pro ineffabili sua misericordia et per συγκατάβασιν praeceptis et doctrinis suis addidit argumenta, vel *probantia*, quae intellectum illuminant,

vel *moventia*, quae voluntatem movent, vel *illustrantia*, quae utrasque has animae facultates respiciunt. Haec argumenta sunt ab exegeta in Scripturae explicatione tam *eruenda* quam *deducenda* nec non, si opus fuerit, *vindicanda*. Hinc opus est, ut ex praeceptis logicis habeat in promtu, quae ad argumentorum inventionem et deductionem pertinent; ego vero impraesentiarum pauca sequentia ex logicis praeceptis repetam.

2) Argumenta adsunt vel explicite vel implicite. Quae *explicite* adsunt, dignoscuntur *partim* ex particulis illativis in connexione verbali, *partim* ex propositionum inter se habitudine et relatione per connexionem realem. Rogamus lectores nostros, ut huc repetant ea, quae *Lib. III. Cap. IV.* § *VI. Reg. IV. p.* 143. de connexione verbali et reali disseruimus. Quae *implicite* adsunt argumenta, duplici modo erui atque inveniri poterunt, 1) si ipsius theseos subjectum, praedicatum et utriusque additamenta diligenter expenduntur, 2) si argumenti explicite talis vis illativa cum subjecto suo et praedicato ulterius ponderatur et, quae in ipso hoc argumento latent caeterae illationes et conclusiones, protrahuntur in lucem. Utinam hos argumentorum fontes saepius ac fieri solet adirent exegetae et commentatores, certissime speraremus, ἀπόδειξιν illam theologicam os obduraturam esse his, qui de argumentis theologicis non nisi per contemtum loqui solent. Conf. b. TELLERI dissert. *de argumento theologico, P. XII. seq.*

3) Qui exempla eorum, quae dixi, desiderat, adeat opus praestantissimum ABR. CALOVII, cujus rubrum est *Apodixis articulorum fidei*, ubi singulis paginis afferuntur loca S. Scripturae et, quomodo ex his argumenta sint deducenda atque formanda, tam clare et feliciter ostenditur, ut non desint, qui hunc librum CALOVIANORUM praecipuum dixerint. Vid. STOLLE *Historie der Theologischen Gelahrheit, p.* 421. Quod judicium etsi meum facere nollem, quia merita scriptorum CALOVIANORUM sunt augustiora, verissimum tamen est, rubrum nigro libri exacte respondere et sacrae dialectices exempla excellentissima exhibere ubique.

§ VII.

De conciliatione ἐναντιοφαινομένων.

Occurrunt in Scriptura quaedam loca, quae cum aliis pugnare videntur ac ἐναντιοφαινόμενα dicuntur, quorum conciliationem ex doctrina logices de contradictione et oppositione demonstrat exegeta, ita ut, ubi vera, ubi apparens, ubi nulla sit contradictio, ope hujus subsidii ostendat.

1) Vera contradictio nullibi occurrit in S. Scriptura nec fieri potuit, ut talis in eam influeret, cum auctores fuerint θεόπνευστοι omniaque sua scripta ediderint φερόμενοι ὑπὸ πνεύματος ἁγίου. 2. *Petr.* I, 21. Quemadmodum fieri nequit, ut Spiritus veritatis sibi vere contradicat, sic etiam impossibile est, ut, qui ab hoc Spiritu infallibili moti, sibi invicem vere contradicant. Obstat enim divinae veritatis infallibilitas, Scripturae divina majestas, vis Scripturae normativa et auctoritas canonica. *Mira est*, inquit AUGUSTINUS *de Civit. Dei Lib. XVIII. Cap. XLI.*, *sacrarum literarum concordia, quod si enim inter se pugnantes et discordes divinae scripturae fuissent, quomodo unquam fieri potuit, ut scripturis adeo inter se dissonis ac pugnantibus tot tantique populi crediderint, non indocti solum et in agris assueti, sed in urbibus, in scholis et gymnasiis inter litigiosas disputationes detriti?* Vid. WALTHERI *Harmonia biblica, Cap. I. p.* 1—19.

2) Quod autem S. Scripturae loca quaedam sibi invicem adversari videantur, nemo negabit. Sunt autem harum contradictionum, non vere, sed apparenter talium, causae variae, a WALTHERO *loc. cit. Cap. II. p.* 19. commemoratae, quarum nulla in ipsa Scriptura, quippe quae secum semper concordat, sed in lectoribus et interpretibus quaerenda est: Nempe 1) linguarum sanctarum ignoratio, 2) vocum et phrasium homonymia, 3) neglectus antecedentium et consequentium, 4) perfunctoria circumstantiarum consideratio, 5) inepta locorum diversorum collatio, 6) humanae rationis deliratio, 7) precum intermissio. Quibus addi poterit 8) ignorantia doctrinae logicae

de oppositione et 9) perversum inclarescendi studium, quod nonnullis dubia et contraria fingere docuit, ut prae reliquis judicio et ingenio pollere viderentur, dum nodos nectunt, ubi aliis omnia plana et consentientia apparebant.

3) Auctores, qui loca ἐναντιοφαινόμενα conciliare eorumque harmoniam ostendere voluerunt, prostant multi, quorum nomina recensentur a cel. PFAFFIO in *Hist. liter. theol. Tom. I. p.* 137., STOLLIO in der *Historie der Theologischen Gelahrheit, Cap. II.* § 82. *p.* 161., BUDDEO in *Isagoge histor. theol. p.* 1766., JAC. LE LONG *Biblioth. sacr. Tom. II. Cap. II. p.* 1077. His denique addendi sunt scriptores, qui harmonias Evangelistarum composuerunt et quorum nomina prolixe recensentur in PRITII *Introduct. in N. Test. Cap. XV. p.* 220., JAC. LE LONG *Biblioth. sacr. Tom. II. Cap. IX. p.* 1134.

§ VIII.

Regulae de conciliatione locorum ἐναντιοφανῶν.

Etsi plures dari soleant regulae, quarum ope conciliatio locorum ἐναντιοφανῶν institui debeat, nos tamen his tribus sequentibus omne negotium conficiemus.

MICH. WALTHERUS dedit regulas *generalissimas* tres et triginta, *communes* de circumstantiis personae undecim, loci tres, temporis undecim, modi sex, scopi unam; denique *proprias* singulorum librorum biblicorum. Vid. *Harmon. biblic. Cap. III. IV. V.* Sed in hoc regularum cumulo multa reperiuntur, quae magis ad sensus Scripturae investigationem in genere, quam ad conciliationem locorum ἐναντιοφανῶν in specie referenda sunt, ut ne quid dicam de molestia, qua memoria per tantam multitudinem regularum oneratur.

REGULA I.

Quia vera contradictio est 1) *vel* αὐτοῦ, *ejusdem subjecti et praedicati,* 2) *vel* κατὰ τὸ αὐτό, *ejusdem partis,* 3) *vel* πρὸς τὸ αὐτό, *ejusdem re-*

spectus, 4) *vel* ἐν αὐτῷ, *ejusdem temporis et loci, in conciliatione locorum Scripturae* ἐναντιοφανῶν *docendum est, ejusmodi contradictionem veram non adesse.*

Conf. MICH. WALTERUS in *Harmon. bibl. Cap. III.* § 22. *p.* 24., GLASSIUS in *Philol. sacr. Log. sacr. Cap. II. p. m.* 2124.

Subjectum et praedicatum diversum.

1) Exempla ad I. proponemus haec: *Exod.* XX, 5. comminatur Deus, se peccata parentum puniturum in *filiis;* sed *Ezech.* XVIII, 20. negat, *filium* pro patre poenas daturum: utrumque verum est, siquidem prius de filio vestigia patris impii secuturo, posterius autem de filio impietatem patris non imitaturo affirmatur. Si Ioannes Apostolus in prima sua epistola c. III, 9. affirmat, *renatum peccatum non facere nec facere posse*, sed c. I, 8., nullum esse renatorum, qui *peccatum non habeat*, sibi nequaquam contradicit, quia idem quidem est subjectum, sed diversum praedicatum; aliud enim est, *facere* peccatum ex proaeresi, aliud *habere* peccatum ex infirmitate. Quae inter 1. *Reg.* VIII, 9. et *Ebr.* IX, 4. adesse videtur pugna, statim evanescit, quam primum observaveris, subjectum esse diversum; nam Paulus loquitur de tabernaculo Mosis, sed auctori libri Regum de templo Salomonis sermo est. *Bethania* dicitur *Io.* XI, 18. quindecim stadia distare ab urbe Hierosolymorum, sed *Act.* I, 12. locus ille, ex quo Christus in coelos escendit, dicitur ab urbe iter sabbaticum, h. e., stadia septem et dimidium abfuisse; fuit autem hic locus Bethania, ut constat ex *Luc.* XXIV, 50. Conciliantur haec loca per id, quod diversa sint subjecta, etsi commune nomen; etenim Bethania, cujus Ioannes meminit, erat vicus, sed Bethania, unde Iesus ad coelos escendit, erat tractus montis olivarum.

Pars diversa.

2) Exempla ad II. Mare Salomonis aeneum dicitur 1. *Reg.* VII, 26. cepisse *bis mille bathos* aquarum, sed 2. *Chron.* IV, 5. de eodem refertur, quod capere po-

tuisset *ter mille bathos*. Distinguitur autem in utroque loco *margo* illius maris ab ipso mari aeneo, unde concluditur, mare illud aeneum, si ad summum usque marginem implebatur, tria millia bathorum, sed si ad marginem usque, quod ordinarie fieri solebat, implebatur, bina millia bathorum cepisse, id quod etiam mathematica marginis dimensio confirmat. Porro, *Exod*, I, 5. scribit Moses, animas ex lumbis Iacobi prognatas et in Aegyptum adductas fuisse septuaginta; sed *Gen*. XLVI, 26. numerantur tantum *sexaginta et sex* et licet *v*. 27. addantur duo filii Iosephi, inde tamen nondum prodit numerus plenus. Sed si addideris Iacobum ipsum, qui etiam expresse in calculo *v*. 8. nominatur, et Iosephum, de quo ex *Exod*. I, 5. patet, quod omnino sit addendus, numerus *septuaginta animarum* clare apparebit.

Respectus diversus.

3) Exempla ad III. Praeceptum de amandis et colendis parentibus, *Exod*. XX, 12., satis est notum; qui vero fit, ut IESUS *Luc*. XIV, 26. neget, ullum ad se venire discipulum posse, nisi qui patrem et matrem oderit? Respondeo, parentes quidem semper sunt honorandi; sed si liberos a Deo et a Christi doctrina arcere eosdemque impedire volunt, quo minus Deo et Christo obediant, Christo plus est obediendum quam hominibus. David in angustiis suis dicit, melius esse *incidere in manus Domini* quam hominum, 2. *Sam*. XXIV, 14., sed Paulus *Ebr*. X, 31. affirmat, *horrendum esse*, incidere in manus Domini. Utrumque est verissimum, sed pro diverso respectu. Horrendum est, incidere in manus Dei irati, sed bonum est, cádere in manus Dei placati et paternam tantum castigationem comminantis.

Tempus diversum.

4) Cum tot dubia chronologica biblica vulgo soleant jactari, opus habet exegeta, ut ad computum biblicum hujusque modos singulares exacte respiciat et de his repetat ea, quae in MICH. WALTHERI *Harmon. bibl. Cap. IV. Art. III. p*. 37. fuere monita: Nimirum, 1) quod tempus computari soleat vel *complete* vel *incomplete*, h. e., vel additis vel omissis minutiis die-

rum et mensium, 2) quod tempus sumatur vel *inclusis* terminis a quo et ad quem vel iisdem *exclusis*, 3) quod anni regum Judae et Israëlis numerari soleant vel administrationis regni cum alio et interregni annis additis vel subtractis, 4) quod anni, menses, dies et horae numerentur in S. Scriptura vel ex consuetudine Judaeorum vel ex legibus et usu aliarum gentium. Singula haec quatuor momenta multis ac copiosis exemplis collustrabit diligens Scripturae et chronologiae sacrae studium. Manifestum itaque est, multa ἐναντιοφανῆ tolli posse, si demonstretur, diversa Scripturae loca de diversis etiam temporum intervallis loqui, juxta vulgatum istud: *Distingue tempora, et concordabit Scriptura.*

REGULA II.

Multum proderit in conciliatione locorum inter se pugnantium tam accurata textus originalis *inspectio, quam* contextus *evolutio; nec non* parallelismi, *qui dabit locum tertium, commoda allegatio.*

Quemadmodum haec tria media hermeneutica supra *Cap. III. IV. V.* exposita ubique veram et genuinam Scripturae explicationem dare possunt ac debent, sic etiam in conciliatione ἐναντιοφανῶν locorum eandem suppeditabunt. E. gr. contra *Act.* XIII, 20. videtur pugnare computus annorum aerae templi Hierosolymitani 1. *Reg.* VI, 1. commemoratus, uti WOLFIUS in *Cur. philol. N. Test. Tom. I. p.* 1188. demonstrat, sed si verba, μετὰ ταῦτα, ad annos illos quadringentos et quinquaginta commemoratos retuleris et particulam ὡς, *circiter*, tempus indefinitum prodere observaveris, videbis, Paulum de alio tempore loquutum fuisse, quam auctorem libri Regum. Sic etiam lex *circumcisionis aeterna* dicitur *Gen.* XVII, 13., et circumcisio abroganda *Act.* XV, 24., sed ex parallelismo reali, qualis *Matth.* XI, 13. obviat, uterque locus amice conciliabitur. Vid. WALTHERI *Harmon. bibl. Cap. III. p.* 24.

REGULA III.

Cavendum est, ne numerus locorum, quae secum pugnare videntur, in S. Scriptura praeter fas multiplicetur.

Sunt qui nodos in scirpo quaerunt, ut habeant, in quo ingenii sui felicitatem experiantur laudemque perspicacitatis, nescio cujus, et soliditatis consequantur. Re tamen ipsa bonae causae damnum inferunt haud leve, dum Pontificiis Scripturam obscuritatis damnantibus nec non Antiscripturariis contemtim de eadem sentientibus, immo vera etiam infirmis in fide arma atque scandala subministrant. Conf. RAMBACHIUS in *Instit. herm. Lib. III. Cap. III.* § *V. p.* 455.

§ IX.

De analysi textuum sacrorum.

Logicis subsidiis exegeta opus etiam habet in textuum sacrorum *analysi* et dispositione, in qua judicii maturi atque exculti partes sunt praecipuae.

1) Praestat analysis logica in exegesi utilitatem variam, dum ostendit, quomodo et libri integri et pericopae singulares cohaereant et qua ratione in suas partes commode distribui debeant; unde posthac accuratius judicium ferri potest de connexione antecedentium et consequentium, de scopo et de circumstantiis. Laudanda igitur est opera virorum doctorum, quam in analysi librorum atque textuum sacrorum posuerunt, etsi negari nequeat, a nonnullis nostra aetate nimiam subinde operam in hac locari nec sine lectorum et emtorum damno splendido *commentariorum* titulo vestiri, cum tamen praeter nudam analysin contineat fere nihil. Caeterum maxime laudamus SAL. VAN TILL *opus analyticum*, quo HEIDEGGERI *enchiridion biblicum* ἱερομνημονικόν supplere studuit, HENSELII *biblia mnemonico-emphatica*, qui analysin Pentateuchi dedit aptissimam, GRUNEBERGII *tabulas oeconomicas in totum S. codicem*, nec non venerand. CARPZOVIUM, Lubecensem, STARCKIUM, SEB. SCHMIDIUM,

LAURENTIUM, IO. AD. LAMPIUM, VAN ALPHEN, BAUMGARTENIUM, IOACH. LANGIUM, WALTHERUM, HIMMELIUM et alios, qui vel commentarios vel introductiones in libros biblicos, vel omnes vel nonnullos, scripserunt.

2) Qua ratione talis vel librorum vel pericoparum analysis sit instituenda, commodius in *theologia homiletica* quam in exegetica docetur, quippe in qua prolixe ostendi solet, qua arte unusquisque textus (*dogmaticus, propheticus, historicus* etc.) et resolvi et disponi debeat; ad quam itaque exegetam nostrum nunc remittemus. Conf. *Instit. orator. sacr. meae, Cap. II. Sect. III.* § *XIV seq.:* „Unum monerem hoc loco, „quod in analysi textuum biblicorum logica nihil dan„dum sit subtilitati; quare etiam magis ad ordinem „naturalem rerum et verborum quam ad artificialem „respiciendum erit.“ Quid enim proderit, textum ita dispescere, ut tandem in merum pulverem, non in frusta nec in partes abiisse videatur?

§ X.

De demonstratione exegetica.

Logica porro usum eximium praebet exegetae in *demonstratione* veri sensus S. Scripturae ejusdemque cum aliis communicatione, siquidem justas methodi leges docet veritates quascunque aliis ita proponendi, ut de his vel probabiliter vel certe convincantur.

1) De *demonstratione exegetica* peculiari dissertatione egit maxime reverendus IO. GOTTL. WERNERUS, Jutrebocensium Superint. et Past. Prim. meritissimus, eamque meo sub moderamine a. MDCCXLVIII. publice defendit, ex qua definitionem demonstrationis exegeticae repetam. *Est,* inquit vir doctissimus § II., *nihil aliud nisi ea probandi ratio, quae ex certissimis principiis ad sensum locorum Scripturae sacrae per se intellectu paullo difficiliorum certo cognoscendum adducit.* Idem § IV. rectissime monuit, studium istud, quod in sensu verborum divinorum eruendo versatur, cum demonstratione exegetica confundendum non esse,

quia methodo alia utitur logicus in veritatis inventione quam in ejusdem demonstratione. Interim negari nequit, ordinem et methodum sensus inveniendi in nonnullis coincidere cum methodo, qua sensus cum aliis per demonstrationem communicatur.

2) Sed quaenam methodus demonstrandi in sacra exegesi sit optima, vix poterit universaliter decidi, cum ingenia hominum sint adeo diversa, ut aliis hic, aliis ille modus et ordo videatur aptior, familiarior intellectuque facilior. Factum inde est, ut mathematicam alii, alii disciplinarem, ut vocant, alii causalem, alii aliam prae caeteris laudarent methodum, quibus contentionibus me ingerere nolo. Placet methodus doctissimi WERNERI, qua exegetam debere tria in demonstratione docere praecipit, nempe 1) *possibilitatem* sensus, 2) *probabilitatem* atque 3) *necessitatem*. *Possibilitas* vero ex illius mente docet, verbis sensum hunc, qui tribuitur voci cuipiam, tribui posse, ideo quod alibi cum ea notione haec conjungi soleat nihilque obstet, quo minus etiam in hoc, quem exegeta tractat, loco eandem servare possit. *Probabilitas* ex circumstantiis praecipuis personae loquentis, objecti etc. ostendi debet. *Necessitatem* autem tam indirecte, per confutationem alius sensus dicto difficiliori ab aliis dati, quam directe, per scopi verborumque ad hunc relationis considerationem circumspectam, demonstrari debere, contendit.

3) Praeter hanc methodum ego quidem commendarem etiam exegetae ἀκριβῶς, maxime in dissertatione academica de difficiliore loco Scripturae disputaturo et verum ejusdem sensum demonstraturo ordinem alium, quo in difficilioribus vocibus et phrasibus *verbalis* cum *reali* interpretatione semper conjungi et in utraque simul sequens dispositio in breviore synopsi exhibenda teneri poterit, additis locis, ubi in his ipsis institutionibus nostris commentati sumus de singulis.

I) VERBALIS exponit

a) *voces* qua

1) etymologiam, *Lib. III. Cap. III.* § *III. IV.*
2) homonymiam, *ibid.* § *V.*
3) synonymiam, *ibid.* § *VI.*
4) emphasin, *ibid.* § *VII. seq.*

β) *phrases* qua

1) compositionem, § *X.*; et quidem in his

a) idiotismos, *ibid.* § *XI. Reg. I.*

b) proverbia, *ibid.* § *XI. Reg. II.*

c) epitheta, *ibid. Reg. III.*

2) qua homonymiam, *ibid.* § *XII.*

3) synonymiam, *ibid.* § *XIV.*

4) emphasin, *ibid.* § *XVI. XVII.*

γ) *determinationem significatus* vocis et phraseos cujusque in quoque loco, *Lib. III. Cap. III.* § *V. Reg. III.*; et quidem in specie

1) ex antecedentium et consequentium connexione, *Lib. III. Cap. IV.* § *III. seq.*

2) ex scopo, *ibid.* § *VII. seq.*

3) ex circumstantiis, *ibid.* § *XIV. seq.*

4) ex affectu, *ibid.* § *XIX. seq.*

5) ex parallelismo, *Lib. III. Cap. III.* § *V. Reg. II.*

II) REALIS exponit

α) *notiones simplices* inque his

1) subjectum, *Lib. III. Cap. IX.* § *III.*

2) praedicatum, *ibid.*

3) additamenta utriusque, *ibid.* § *V.*

β) *propositiones,* in quibus ostenditur

1) nexus subjecti et praedicati, *Lib. III. Cap. IX.* § *IV.*

2) amplitudo vel etiam restrictio propositionis, *ibid. Reg. II.* et *Lib. III. Cap. III.* § *V. Reg. IV.*

3) illustratio, quae fit

a) per parallelismum, qui *exempla, testimonia,* et *similia* biblica affert.

b) per complementum tam *vaticinii* quam *typi* realiter exponendi.

c) per conciliationem τῶν ἐναντιοφανῶν, *Lib. III. Cap. IX.* § *VI.*

γ) *ratiocinia,* ubi afferri poterunt

1) argumenta, quae a) explicite
b) implicite
adsunt, *ibid.* § *VI.*

2) porismata seu consectaria, *ibid.* § *X.*

§ XI.

Applicatio veri sensus S. Scripturae.

Denique logica subsidia proderunt exegetae in sensus Scripturae *applicatione*, quae est sensus S. Scripturae inventi atque demonstrati accommodatio ad aedificationem legentium et audientium.

Definitio.

1) *Applicationis* notionem itaque latiore sensu accipio, quam RAMBACHIUS, RECKENBERGERUS, I. A. SCHMIDIUS aliique eam acceperunt. Hi enim per applicationem sensus genuine salutarem solam *porismatum* deductionem intellexerunt et, applicationem aliud quicquam esse quam textum ipsiusque sensum, contenderunt. Vid. RECKENB. § *CXCVIII. p.* 190. Rectius vero b. VAL. ERN. LOESCHERUS in *Breviar. theolog. exeget. P. III. Sect. I. Cap. III. § V. p.* 164. observavit, *usum*, ut vocat, *esse, si textus biblicus qua sensum recte explicatus ad aedificationem eorum, qui verbum legunt et audiunt, immediate et proxime traducitur.* Quibus vestigiis hoc magis insisto, cum *applicationis* vox et notio nequaquam solam porismatum deductionem, sed et ipsius sensus applicationem ad fidem, caritatem, patientiam et spem in lectoribus et auditoribus vel producendam vel confirmandam ex usu loquendi involvat. Nec re ipsa tunc sensus Scripturae tantum applicatur, si consectaria ex eo deducuntur, sed et si ipsae veritates sensum ejus constituentes traduntur et inculcantur auditoribus credendae, faciendae, fugiendae, sperandae.

Divisio.

2) Applicationis hujus salutaris dantur tres modi speciales:

a) Ipsius sensus et immediate et mediate a S. Spiritu intenti *inculcatio*. E. gr. Verba Pauli 1. *Tim.* III, 15. dant sensum immediate intentum, Christum esse redemtorem lapsi generis humani. Haec ipsa veritas sensum dicti sacri exhibens applicatur, dum eam ita inculcamus, ut tam nostra quam aliorum corda ad assensum eidem praebendum excitemus,

de certitudine ejus convincamus et adversus objectiones obfirmemus. Pari modo et veritates mediate intentae inculcari possunt et debent; sunt enim etiam ad sensum Scripturae et ad mentem Domini referendae, prouti docui *Lib. I. Cap. I.* § *IV. p.* 15.

β) *Comparatio* sensus Scripturae cum statu vel ecclesiae praesentis vel animae nostrae. Scimus enim, omnia in S. codice scripta esse propter nos et in nostra commoda, 2. *Tim.* III, 15. *Rom.* XV, 4., et, quae Christus suis discipulis dixit, nobis etiam dicta fuisse: igitur necesse est, ut omnia verba divina ad nostrum etiam statum transferamus omniaque nobis dicta putemus, ut nostram animae conditionem cum iisdem comparemus indeque nostram aedificationem et emendationem petamus. E. gr.: Cum Paulus dixit, sibi omnium peccatorum summo misericordiam fuisse tributam, 1. *Tim.* I, 16., instituit exegeta comparationem inter Pauli et nostra, quidni et sua peccata indeque, quid adhuc sperare liceat, tuto atque certe colligit, nempe, divinam misericordiam nemini peccatorum ad fruges redeuntium unquam denegandam.

γ) *Conclusio porismatica*, quae conclusiones ex sensu genuino per legitimam consequentiam deducendas auditoribus lectoribusque proponit atque ad horum statum conditionemque applicat. Plura de *fundamento*, de *fontibus* internis et externis, nec non de variis *generibus* atque *elaboratione* porismatum praecipere solent homiletae, ad quos nunc provocamus unum hoc monentes, de his omnibus peculiari institutione opus non habere eum, qui logicis doctrinis recte imbutus et de modo regulisque consectaria deducendi in philosophorum scholis plene informatus fuerat. Nihil enim de porismatum s. consectariorum fundamento, genere et fontibus dici potest in specie, quod in logica dictum non fuerit prius in genere.

LIBRI III.

CAPUT DECIMUM

DE

SUBSIDIIS EXEGETICIS SCIENTIARUM ET DISCIPLINARUM REALIUM, SACRARUM ET PROFANARUM.

---

§ I.

Ex subsidiis exegeticis restat ultimum, quod ex scientiis et disciplinis realibus, cum sacris tum profanis, peti potest et reali interpretationi Scripturae passim inservit.

§ II.

De subsidiis a theologia suppeditatis.

Theologiam singulasque ejusdem partes exegetae ubique, cumprimis in analogia fidei et morum observanda et applicanda, auxilio esse, nemo ignorat.

1) Notiones pleraeque in articulis fidei occurrentes non nisi ex theologia revelata plene definiuntur. E. gr.: *Πίστις, υἱὸς τοῦ Θεοῦ, μυστήριον τοῦ εὐαγγελίου, Θεὸς ὁ πατήρ, πνεῦμα ἅγιον* etc. Has notiones si exegeta cognitas et perspectas habet, multo facilius sensum Scripturae assequitur, ac si iisdem auxiliis adhuc careret.

2) Cavendum tamen est, ne falsas erroneasque opiniones nec praejudicatas ad lectionem Scripturae afferat exegeta hasque eidem inferat, ut faciunt heterodoxi

omnes, quippe qui interpretationem ad suas hypotheses detorquent sensumque Scripturae non ex ea efferunt, sed in eam inferunt. Recte enim monuit HILARIUS: *Optimus lector est, qui dictorum intelligentiam expectet ex dictis potius quam imponat, et retulerit magis quam attulerit, neque cogat, id videri dictis contineri, quod ante lectionem praesumserit intelligendum. Lib. I. de Trinitate. § XVIII.*

§ III.

De subsidiis ex jurisprudentia depromptis.

Jurisprudentia tam in vocibus quibusdam forensibus quam in legibus et consuetudinibus exponendis et illustrandis subsidio venit exegetae.

1) Vocabulorum forensium magna copia datur in Scriptura, ut est *χειρόγραφον, διαθήκη, παρακαταθήκη, μεσίτης, λύτρον, ἀντίλυτρον, ἐπερώτημα, ἀῤῥαβών* etc. Etiam in *justificationis* descriptione mentio fit judicis, rei, actoris, accusatoris, testis, advocati etc. Ne quid dicamus de jure civitatis Romanae, de provocatione ad Caesarem, nec de aliis, quorum omnium scientia facilitabit explicationem locorum Scripturae multorum, quae sine hoc subsidio vel omnino non vel minus plene intelliguntur.

2) Quantam utilitatem legum et consuetudinum veterum, cum Judaeorum tum gentilium, notitia interpreti afferat, scripta SELDENI, GROTII, HUBERI, PITHOEI nec non ipsius SPENCERI (qui tamen cum grano salis legendus est) abunde testantur.

§ IV.

De subsidiis artis medicae.

Ars medica non solum appellationes morborum in Scriptura saepe commemoratorum una cum morborum natura et causis subministrat exegetae, sed

et divinam vim atque potentiam in miraculosa aegrotorum sanatione conspicuam monstrat et a cavillatorum objectionibus vindicat.

1) Vocabula in medicorum scholis usitata longe plura leguntur in sacris literis; e. gr.: Παραλυτικός, κωφός, τυφλός, κυλλός, συμπάθεια, καυτήριον, καταρτίζειν, γάγγραινα, συκομωραία, νάρδος, ἀλάβαστρον, θρόμβος, φαρμακεία etc. Conf. BARTHOLINUS, WARLITZ, MEAD, de *morbis biblicis*, etc.

2) Abutuntur notitia rerum medicarum, qui ad neganda vel extenuanda miracula Christi et prophetarum eas adhibent causisque naturalibus stupendos hos effectus adscribere volunt, ut VANINUS, POMPONATIUS, BECKERUS, HOBBESIUS, WOOLSTONUS, TOLANDUS, SPINOZA et *Religio Medici* THOM. BROWNII, etc. Contra hos veritatis hostes acies felicius instrui non potest, quam si medici medicis opponuntur ipsique empaectae propriis medicorum telis confodiuntur. Hinc egregie conducet, rerum medicarum habere notitiam qualemcunque, ut vafris incredulorum objectionibus commode et promte occurratur et os obstruatur contradicentibus.

§ V.

De subsidiis physices.

Physica rerumque naturalium scientia aptiorem reddit interpretem ad explicanda opera Dei stupenda, quae frequentissime in Scriptura celebrantur, nec non ad exponendas similitudines et parabolas biblicas a rebus naturalibus desumtas; ipsamque veritatem rerum physicarum in bibliis sacris traditarum confirmat aeque ac a dubiis vindicat.

1) Nosse debet exegeta *arbores*, *herbas*, *animalia*, *insecta*, *metalla*, *mineralia*, *gemmas*, *lapides*, *aerem*, *aquam*, *ignem* et quaecunque demum in historia et notitia rerum naturalium obviant physico, ideo quod horum fere omnium memoria fit in S. literis suntque singula passim explicanda, ut verus et genuinus di-

vini verbi sensus innotescat. Sed quantus, quaeso, datur rerum naturalium cumulus, qui exegetae studium plane eximium et indesinens postulat, ut testantur SCHEUCHZERI, BOCHARTI, FRANZII, URSINI, HILLERI, VOGLERI, VALESII, WEDELII aliorumque opera laudanda. Cumque insuper in Scriptura multorum *exoticorum* nostris in terris desideratorum, et quidem nominibus Ebraeis appellatorum memoria sit servata, horum investigatio laborem exegeticum vehementer auget atque subinde intricatissimum reddit, unde illis physicis et philologis, qui justa linguarum cognitione instructi de exoticis illis disseruerunt erudite, multas gratias debemus.

2) Cavendum tamen est, ne nobilissimo hoc subsidio abutamur, dum *vel* ad physicas hypotheses recens excogitatas Scripturae sensum, ne praeconceptis nostris opinionibus contrarietur, torquemus, *vel* errores physicos et loquendi formulas ad erroneas vulgi opiniones accommodatas in Scriptura admittimus hasque in DEI veracitatem valde injurias modesto sub obtentu optices et sensuum fallaciae pro divinis venditamus. Quis enim rectius et accuratius de rebus naturae quam auctor naturae omniscius loqui ac docere potest? Aliud enim est, Scripturam loqui ex usu phraseos communi et vulgato, aliud, Scripturam loqui ex errore communi et vulgato. Vid. SCHOMERI *novissim. cotrovers. theolog. Cap. I. § VIII. p.* 111.

§ VI.

De subsidiis mathematices.

Mathesis suppeditat exegetae explicationem ponderum, mensurarum, numerorum atque aedificiorum passim in Scriptura delineatorum.

Quaestio de *arca Noachi*, potueritne capere animalia omnia una cum pabulo et nutrimentis, aliunde quam ex mathesi solvi nequit. Quale fuerit aedificium *tabernaculi*, *templi* Hierosolymitani et, quomodo contradictiones in eorum delineationibus quaesitae tolli debeant, solus mathematicus intelligit ex architectura. Nec carere poterit exegeta institutionibus mathematicis in templo Ezechielis describendo, in

temporum Apocalypticorum et propheticorum enumeratione et computo, in *mensuris* et *ponderibus*, in siccis et aridis describendis. Itaque patet, matheseos cognitione vix ac ne vix quidem carere posse exegetam.

§ VII.

De subsidiis historiae et chronologiae.

Historia et *chronologia*, tam sacra quam profana, docebit interpretem complementa vaticiniorum Vet. Test. et N. Test., ex quibus perfectam haurire licet prophetiarum explicationem ; monstrabunt ipsi etiam in synchronismo vias Dei admirandas in gente Judaica et in aliis populis ; hisque exegetam ad sensum librorum biblicorum facilius assequendum praeparabit. Denique dubia ab empaectis contra chronologiam et historiam sacram mota diluet Scripturaeque veritatem vindicabit.

Superfluum laborem in me susciperem, si utilitatem atque necessitatem studii historici et chronologici in exegesi sacra commendare vellem. Quis enim ignorat, quanta incrementa et adjumenta exegesis ex his scientiis opera HUMPHR. PRIDEAUXII, SAM. SHUCKFORDII, SPANHEMII, BUDDEI, nec non scriptorum chronologiae praestantissimorum PETAVII, SCALIGERI, CALVISII etc. acceperit? Quis unquam poterit vaticinia V. Test. de gente Tyria, Babylonica, Medica, Persica, Graeca exponere, nisi harum fata probe habeat perspecta? Quis Actus Apostolorum, quis Apocalypsin Ioannis exponet, nisi historiam orbis sacri et profani tenuerit et faciem, quam saeculo a Christi natu primo ad haec usque tempora habuit? Idem de caeteris plerisque libris biblicis statuimus; est enim et manebit historia pariter et chronologia ocellus, sine quo interpres literarum sacrarum saepenumero in tenebris labetur.

§ VIII.

De subsidiis geographiae.

Ex *geographia*, in primis ex Palaestinae et confinium terrarum descriptione multis locis Scripturae posse lucem afferri, nemo ignorat, quare et hanc nobilissimam scientiam ut subsidium exegeticum laudare atque commendare fas erit.

Absque geographia antiqua nullus fere liber historicus Vet. Test. et N. Test. intelligi potest, quippe in historiis ubique nomina urbium, montium, fluviorum etc. obviant, ex quorum situ et conditione de rebus memoriae proditis judicium ferri potest ac debet. Vaticinia plurima respiciunt regiones et urbes olim celebres hisque sua fata futura praedicunt; hinc ne prophetarum quidem scripta absque subsidio geographiae plene exponi possunt. At enim vero, si exegeta calluerit ea, quae RELANDUS et BOCHARTUS de Palaestina et terris confinibus, CELLARIUS et SANSONIUS de geographia antiqua in genere commentati sunt, hisque STRABONIS, PAUSANIAE, STEPHANI BYZANTINI, POMP. MELAE lectionem junxerit, egregia habebit auxilia, quorum ope mediis in tenebris ipsi omnia erunt clara et perspicua, ut videre licet in praestantissimo CAMP. VITRINGAE *Commentario in Esaiam*.

§ IX.

De subsidiis notitiae antiquitatum.

Ultimum locum inter subsidia ex scientiis atque disciplinis realibus desumenda adsignamus notitiae *antiquitatum* et *rituum veterum*, quae se ad omnia, tam Judaicae gentis quam aliorum populorum, sacra et profana, politica et oeconomica, nautica et numismatica extendit et exegetam, ut de singulis accurate disserere et judicare queat, plene informat.

Amplissimus quidem est campus, quem hic exegetae monstramus, sed et amoenissimus et fertilissimus, cujus cultura omnes labores large compensabit exegetaeque et boni et eleganter docti interpretis famam nomenque conciliabit. Quot enim loca Scripturae possint et facilius intelligi et plenius illustrari ex antiquitatibus et numis, vix creditur a rerum ignaris. Cavendum tamen est, ne ostentationi et vanae eruditioni vela dentur, dum antiquitates frustra quaeruntur et vastae lectionis scientiaeque gloriola affectatur, prouti pluribus monui et exemplis facile insuper augendis monstravi in dissertatione „*De antiquitatibus frustra in S. codice quaesitis*“, quam meis *Variis Sacris* inserui, *Exercit. XVII. pag.* 217.

LIBRI III.

CAPUT UNDECIMUM

DE

ADMINICULIS EXEGETICIS.

---

§ I.

Restat ut de *adminiculis exegeticis* paucissima moneamus, quippe quae usum mediorum aeque ac subsidiorum exegeticorum facilitant, ut sunt

1) *versiones S. codicis*,
2) *lexica*,
3) *concordantiae*,
4) *commentarii.*

Vid. *Lib. III. Cap. II.* § *IV. p.* 98. Equidem probe scio, de his adminiculis rectius et plenius in historia literaria theologica quam in hermeneutica sacra edisseri posse ac debere, quare etiam RAMBACHII prolixitatem, quam in horum recensione adhibuit in *Hermen. Sacr. Instit. Lib. III. Cap. VI. VII. VIII. IX.*, nequaquam sequar; juvabit tamen, interpreti hoc loco paucissimis et in genere commendare et nominare adminicula versionum, lexicorum, concordantiarum et commentariorum, quorum ope suos sibi facilitare poterit labores exegeticos; de variis autem auctoribus et editionibus eorundem consulat scriptores historiae literariae, BUDDEUM in *Isagoge histor.*

theol., FPAFFIUM in *Histor. literar. theol.*, LIPENIUM in *Biblioth. theol.*, STOLLIUM in der *Historie der Gottesgelahrheit*, LANGIUM, BAUMGARTENIUM, LILIENTHALIUM, REIMANNUM etc.; ac prae reliquis omnibus JAC. LE LONG in *Biblioth. sacr. in binos Syllabos distincta*, Paris. MDCCXXIII., CARPZOVIUM in *Introduct. in Libros Vet. Test.* et in *Critica sacra Vet. Test.*

§ II.

De versionibus.

Etsi nulla versio S. codicis omnibus numeris absoluta extat indeque nec iis ubique fides habenda est, siquidem ex humana imbecillitate facile fieri potuit, ut in tam vasto et prolixo opere interpres passim laberetur: saepe tamen ad ulteriorem veri sensus investigationem adducent versiones et de virorum eruditorum sententiis in momento instruent.

Aliter quidem de sua authentica versione Latina sentiunt Pontificii, ut in vulgus notum est; sed cum a theologis nostratibus vana haec persuasio ipsius SIXTI V. et CLEMENTIS VIII. mutuo dissensu destructa jamdudum sit confutata, cramben toties coctam apponere nolo, cumprimis posteaquam, vitia et errata multa huic versioni adhuc inesse, ostenderunt viri eruditi. Omnis versio, quaecunque demum sit, ad veritatem textus originalis examinanda est ab exegeta, etiam b. LUTHERI, quae reliquis palmam quidem praeripuit, suos autem naevos leviores omnino habet prudenter et modeste emendandos.

§ III.

Ex his versionibus, quae interpreti in investigando vero sensu poterunt adminiculis esse, sequentes nominabimus nullo respectu ad ordinem vel linguae vel auctoritatis habito: et quidem ex antiquioribus consuli potest

1) *Septuaginta viralis versio Graeca* Vet. Test.,
2) SYMMACHI, AQUILAE, THEODOTIONIS fragmenta versionum Graecarum Vet. Test.,
3) *Chaldaicae paraphrases* seu Targumim Vet. Test.,
4) *Syriaca versio antiqua* Vet. Test. et N. Test.,
5) *Latina versio* antiqua et Hieronymiana Vet. Test. et N. Test.

Sed ex recentioribus diligenter exegeta consulat:

LUTHERI versionem Germanicam S. Scripturae,
BENGELII, HEUMANNI N. Test. German.,

SEB. SCHMIDII,
JUNII, TREMELLII et BEZAE,
SANTIS PAGNINI, ARIAE MONTANI,
TIGURINORUM,
SEB. CASTELLIONIS,
} versiones Latinas.

BELGICAM versionem,
ANGLICANAM versionem, quae regia (*King's Bible*) inscribi solet,

DAV. MARTINI versionem,
GENEVENSEM versionem,
L'ENFANT et BEAUSOBRI versionem N. Test.,
MONTENSEM versionem N. Test.
} Gallicas.

1) Ne quis miretur, adeo paucas versiones a me nunc citari et laudari omissis tot aliis, maxime orientalibus, quas alibi ad coelum usque interdum tolli constat: ego vero sumtibus exegetae aeque ac commodis consulere volui ideoque suppellectilem librariam sat

parvam, sed et satis bonam et cultam ipsi ostendi, siquidem in coëmendis adminiculis exegeticis nihil ventosae Minervae, quae in amplis bibliothecis privatis utplurimum habitare solet, sed utilitati et necessitati, hinc etiam selectui, dedi. In comparanda enim bibliotheca exegetica valet illud poëtae: *Sit mihi parvus, sed bene cultus ager.*

2) Qui eruditorum judicia de his et aliis versionibus legere vult, evolvat JAC. LE LONG *l. c.* et CARPZOVIUM in *Critic. Sacr. Part. II. p.* 430—778., MICH. WALTHERUM in *Offic. Bibl. p.* 249—454., AUG. PFEIFFERUM in *Critic. Sacr. V. T. Cap. VIII. p.* 216—349., IO. FR. BUDDEUM in *Isagog. Histor. Theol. Libr. Post. Cap. VIII.* § *V. VI. p.* 1509. *seqq.*, KORTHOLDUM de *Versionibus.*

§ IV.

De lexicis.

In promtu habeat etiam exegeta *lexica*, cum Ebraea et Chaldaica tum Graeca, quibus, si placet, addere poterit biblica realia.

1) De *lexicis Ebraeis* et Chaldaicis omnium prolixissime disseruit IO. CHRIST. WOLFIUS in *Tr. historia lexicorum Ebraicorum* et in *Biblioth. Ebr. Part. II. p.* 548., cui addi poterit VAL. ERN. LOESCHERUS de *Causis lingu. Ebr. Lib. I. Cap. XII. p.* 165., AUG. PFEIFFERUS in *Critic. sacr. Cap. V. Quaest. III. p.* 168., qui duumviri etiam naevos et imperfectiones lexicorum Ebraeorum candide annotarunt. Nostra aetate STOCKII *clavis linguae sanctae* et ROBERTSONII *thesaurus* omnium manibus versantur, quibus FOERSTERI, GUSSETII, COCCEII et BUXTORFII lexica addenda judico.

2) Inter *lexica Graeca* eminet STEPHANI *thesaurus linguae Graecae*, cujus epitomen dedit SCAPULA, cui GUILIELM. BUDAEI *Commentarios lingu. Graec.* junxisse conducet. De caeteris lexicis Graecis videatur FABRICIUS in *Biblioth. Graec. Lib. IV. Cap. XXXV. p.* 540. Recentiores lexicographos Graecos, qui post FABRICII aetatem lucem adspexerunt, ex aliis scriptoribus historiae literariae sibi notos reddat exegeta et eos, qui Scripturae S. rationem simul habuerunt, seligat.

3) Ad *realia biblica lexica* referamus FLACII *Clavem Scripturae Sacrae*, AUG. CALMETI *Dictionarium biblicum*, SCHNEIDERI *allgemeines biblisches Lexicon*, quibus addi poterunt scriptores, qui vel ordine alphabetico vel promiscue voces et phrases biblicas exposuerunt, ut FESSELIUS in *Miscellan. sacr.*, GATAKERUS in *Adversar. miscellan.*, MONTFAUCONIUS in *Hexapl. Orig. Tom. II.* etc.; nec non *Onomastica sacra*, qualia edidit HILLERUS, CHYTRAEUS, BONFRERIUS, ALTHAMERUS.

§ V.

De concordantiis biblicis.

Concordantiae biblicae mirum in modum juvabunt interpretem in expositione Scripturae, tam verbali quam reali, poteruntque etiam dividi in *verbales* et *reales*, quia aliae syllabum verborum, aliae ordinem rerum sequuntur et continent.

1) *Verbales concordantias* possidere debet exegeta, et quidem Ebraeas, Graecas, Latinas et vernaculas. *Ebraeas* dedit BUXTORFIUS, quas RAVIUS in compendium misit, quocum NOLDII *concordantiae particularum Ebraicae* combinandae sunt. *Graecas* Vet. Test. concordantias dederunt CONR. KIRCHERUS et TROMMIUS, quorum uterque eximiis laudibus est ornandus in his suis laboribus utilissimis; sed in N. Test. concordantias conscripserunt CHRIST. BETULEJUS, HENR. STEPHANUS et, qui his multo anteponendus, ERASM. SCHMIDIUS. *Latinae* concordantiae prostant in Vulgatam Versionem majores et minores, quarum catalogum exhibet JAC. LE LONG in *Biblioth. Sacr. Tom. I. p.* 456—457. Inter vernaculas extant LANCKISCHII, AGRICOLAE, MICHAELIS, NIEDERWERFERI, IANI, CRELLII; optimae autem et perfectissimae sunt, quas primo loco allegavimus.

2) *Reales* concordantiae sunt, quae singula Scripturae loca de una eademque re agentia congesserunt et suis sub locis et articulis allegarunt, ut VOGELIUS in *Thesaur. theolog.*, SEBERUS et TELLERUS in *Hortul. biblic.*, DAN. CRAMERUS im *biblischen Wegweiser*, KAHLIUS in der *Real-Concordanz*.

§ VI.

De commentatoribus in S. Scripturam.

Ultimum locum inter adminicula exegetica adsignamus *commentatoribus* in Scripturam sacram; cumque fieri nequeat, ut omnes et singulos, qui per totum terrarum orbem in S. codicem commentati unquam sunt, possideat et consulat exegeta, selectu opus habebit, ita ut ex diversis singulis commentariorum classibus mox commemorandis unum alterumve in quosque libros Vet. Test et N. Test. sibi acquirat et suo tempore evolvat.

1) Cum innumeri fere conscripti sint commentarii in S. codicem ab auctoribus literariae historiae supra laudatis studiose quidem, sed minus plene ob nimium eorum numerum collecti, e re exegetae nostri erit, certas constituere commentariorum *classes* et ex his in quemque librum biblicum quosdam commentatores ad diversas classes pertinentes consulere. Distribui autem poterunt in hos sequentes,

α) in *textuales*, qui in sensu Scripturae eruendo maxime occupati interpretationem dant literalem, unde et *literales* vocari possunt. Tales sunt commentarii MART. GEIERI, SEB. SCHMIDII, AUG. CALMETI (*commentaire literal*), IO. GERHARDI, IO. TARNOVII etc.; ex Judaeis R. DAV. KIMCHI, R. SAL. BEN MELECH etc.

β) in *reales*, qui res sacris literis traditas magis quam textus verba considerant et exponunt, ut sunt scripta exegetica LUTHERI, BRENTII, CALVINI, HUNNII, LIMBORGHII, EPISCOPII, IAC. ALTINGII, ESTII, CASP. SANCTII etc.; ex Judaeis MAIMONIDIS, ABARBANELIS etc.

γ) in *mixtos* ex realibus et literalibus, qui verba et res simul exponunt ac ideo prae caeteris utiles habendi sunt, ut sunt opera HUG. GROTII, ABR. CALOVII, VITRINGAE, MARCKII, COCCEII, FRID. BALDVINI; ex patribus ORIGENIS, CHRYSOSTOMI, HIERONYMI, CYRILLI, ALEX. THEOPHYLACTI etc.

δ) in *criticos*, qui ope artis criticae et profanae eruditionis subsidio Scripturam interpretantur; e. gr.: IO. CLERICUS, DRUSIUS, ERASMUS ROTERODAMUS, ERASM. SCHMIDIUS, PRICAEUS aliique in *Critic. Anglican.* collecti junctimque editi.

ε) in *summarios* et *glossatores*, qui brevissimis et in glossis libros biblicos exposuerunt, ut OSIANDER, CHYTRAEUS, OLEARIUS, Theologi Tubingenses in Summar. biblic., GLOSSATA biblia, DAN. CRAMERUS, JUNIUS et TREMELLIUS in notis, ZELTNERUS et ZEIBICHIUS in Bibl. German.

ζ) in *paraphrasticos*, qui paraphrases in S. Scripturae libros composuerunt, ut factum est a THEOLOGIS VIMARIENSIBUS in der *Weimarischen Bibel*, HAMMONDO, LUBINO, LAURENTIO, IO. CHR. STARCKIO, IO. DAV. MICHAELIS, BENSONIO, ERASMO ROTERODAMO, IO. LOCKIO, SEB. SCHMIDIO, WELLSIO etc.

η) in *universales*, qui in omnes aut plerosque libros Vet. Test. vel N. Test. vel etiam utriusque testamenti suos commentarios scripserunt, ut LUTHERUS, BRENTIUS, COCCEJUS, HUGO GROTIUS, ABR. CALOVIUS, IO. CHRIST. STARCKIUS, CORNELIUS A LAPIDE, AUGUST. CALMETUS, POLUS, PRUECKNERUS etc., et in *particulares*, qui vel in unum alterumve biblicum librum commentarios ediderunt, vel in certa quaedam loca seu dicta S. Scripturae libellos et dissertationes peculiares conscripserunt.

2) Quanta cautione opus sit, ne per commentatores biblicos in errores abripiatur exegeta nec in varias partes distractus multo incertior reddatur neque falsis doctrinis et opinionibus nescius inficiatur, pluribus non monebo; constat enim, etiam in lectione commentariorum biblicorum observandam esse regulam apostolicam: *Πάντα δοκιμάζετε, τὰ καλὰ κατέχετε.*

DEO TRINUNI PATRI FILIO ET SPIRITUI SANCTO
SIT LAUS HONOR ET GLORIA IN SAECULA
AMEN.

I. INDEX

LOCORUM SCRIPTURAE SACRAE

QUOS

VEL EXPLICATOS, VEL VINDICATOS, VEL ALLEGATOS HAC IN EXEGESI VIDES.

PROVERBIA.

CANTICUM.

II. INDEX
RERUM PRAECIPUARUM.

A

B

C

D

E

F

H

I

J

K

L

M

N

O

P

R

S

T

U

V

W

Y

Z